CARMELITANA BIBLIOTHECA,

SIVE ILLVSTRIVM ALIQVOT CARMELITANAE RELIGIONIS

Scriptorum,& eorum Operum Cathalogus.

IAMPRIDEM A MAGNO, ET INCOMPARABILI VIRO D. Ioanne Trithemio Ordinis Sancti Benedicti Abbate luculenter congeſtus: tandem centeſimo poſt anno magna ex parte auctus, recognitus, & Annota tionibus illuſtratus, ac optimo Ordine Alphabetico digeſtus.

AD AMPLISSIMVM P. M. Baſilium Anguſſolam, almæ Prouinciæ Romanæ Carmelitarum Prouincialem digniſs.

AVCTORE R. P. PETRO LVCIO BELGA Carmelitano Bruxellenſi, Sacræ Theologiæ Profeſſore.



FLORENTIAE, Apud Georgium Mareſcottum. 1593.
Superiorum permiſſu.

AMPLISSIMO, OMNIQ; VIRTVTVM GENERE ORNATISSIMO

P. M. BASILIO ANGVSSOLAE Cremonenſi, Carmelitarum almæ Prouincię Romanę Prouinciali digniſsimo, viro ad quæque virtutis opera genito.

F. PETRVS LVCIVS BELGA S. P. D.

MODO centeſimus annus uoluitur, Ampliſſime Pater, quo incomparabilis vir D. Io. Trithemius inclytę Benedictinæ familiæ Abbas, Opus quoddam bipartitum non minus pium quam eruditum De Laudibus vnum, alterum De illuſtribus Scriptoribus ſacri, atque adeò antiquiſſimi (ut ipſe loquitur) noſtri Carmelitani

litani Ordinis conſcripſit. Quod cùm ob clariſſimum clariſſimi Autoris nomen à Carmelitis noſtris ſummopere, quaſiq; (ut dicitur) Saturnina fame deſiderari conſpicerem, neq; in Italiæ Typographorum officinis ſeorſum excuſum extare pro comperto haberem: illico me rem non ingratam cunctis noſtræ profeſſionis uiris præſtaturum confidebam, ſi idipſum denuo, tanquam poſtliminio, ad incudem reuocatum typis traderem. Itaque admodum R. D. Bernardus de Medices, florentiſſimæ Florentinorum Eccleſiæ cathedralis Canonicus, pro ſui erga me, & Carmelitas omnes animi candore, idem per benignè deſcribendum obtulit. Quod cùm ea qua fieri potuit fide & diligentia deſcripſiſſem, vidiſſemq; horum alterum, nimirum De Scriptoribus, magna ex parte à me auctum, & Annotationibus, vt opinor, non ſpernendis, illuſtratum, confeſtim veluti nouæ prolis nouus parens, nouo partui nouum nomen dedi, & Carmelitanæ Bibliothecæ titulo inſignitum, tui nominis Amplitudini (tanquam omnis virtutis & eruditonis thecæ) Bibliothecæ Opus dedicaui. Operis verò materia etiam ſi humilis, & cum multis communis pleriſque videbitur, non tamen dubito quin noſtris Carmelitis ſua ipſius commendatione grata, animi mei penſata promptitudine gratior, calculi verò tui acceſſione gratiſſima futura ſit. Dabit enim hoc ipſum Opus quantitate licet exiguum, tanquam in lympidiſſimo ſpeculo intueri aliquot (aliquot, inquam, nam omnes recenſere vires pluſquam Herculeas poſceret) heroi-

cos

ſos noſtræ Carmelitanæ Religionis Scriptores, & omnis eruditionis admiratores, qui nullis parcentes laboribus, omnem ingenij vim, animi denique corporiſq; robur & neruos omnes ad Chriſti omnipotentis gloriam, Religionis honorem, & vniuerſalis Eccleſiæ vtilitatem intenderunt; hanc ſibi ſolam perſuadentes uiam, vnicamq; Pythagorici elementi ad immortalitatis laudem ſemitam, ac ingens poſterorum ad eorundem ſequenda veſtigia calcar eſſe. Quilibet enim, niſi iners, & telluris inutile pondus extiterit, cùm maiorum ſuorum res præclarè geſtas animo diligenti contemplatur, non parum ad dignam earum imitationem prouocatur; cùm, autore Saluſtio, P. Scipio, & Q. Fabius, cùm maiorum & magnanimorum virorum imagines inſpicerent, quammaximè ſe ad virtutem inflammari ſolitos eſſe dixerint. Ita Iulius Cæſar inſpecta Alexandri Magni imagine, magnarum rerum agendarum gloria incenſus eſt; etenim, quemadmodum non minus fauſtè quàm regiè, Fauſtus poeta regius cecinit:

Eſt aliquid, clarus magnorum ſplendor auorum,
Illud poſteritas æmula calcar habet.
Scilicet, vt nullus tantis ſit degener actis,
Magnanimum pectus ſtrenua facta mouent.

Solent enim iuuenes, qui aliquid indolis habent, ne degenerare videantur, maiorum ſuorum dignitatem æmulari, & ad paternarum laudum aſpirare fœlicitatem.

em. *Sic Philippi nomen Alexandrum, ſic maioris t Aphricani gloria minorem Scipionem, ſic Caſaris Iulij fama Octauianum ad pręclara quæque gerenda excitauit & inflammauit. Is igitur, vir præſtantiſſime, intenti mei ſcopus & terminus extitit, vt nonnullos almæ noſtræ Carmelitanæ Religionis Coryphæos, & in re literaria Anteſignanos ſua virtute notos, mea tandem tali quali induſtria notiores redderem, & ab iniquæ obliuionis iniuria vindicarem. Cur autem Opus hoc nominis tui Amplitudini potiſſimum dedicauerim, etſi multa ſint quę me ad hoc impulerunt, tamen innatus tibi quodammodo erga Literatos (ipſe literatiſſimus) amor, & fauor hoc imprimis exigere videbatur, vt ſub doctiſſimi Viri tutela (contra cryticorum tela) id ipſum in publicum emitterem. Siquidem nominis tui claritas, generis ſublimitas, & multorum in alma Vrbe Apoſtolici Senatus Purpuratorum Patrum familiaritas, ſingulare denique erga Carmelitanā immò Chriſtianam religionem ſtudium, zelus, amorq́;, maius, digniusq́; argumentum expoſtulant, quàm exiguę vires tum corporis, tum ingenij mei promittere, nedum præſtare queant. Satis interim mihi fuerit pręſtitiſſe, quod ingenium per quam exiguum pro ſua mediocritate potuit, cùm integrum non fuerit declaraſſe quod mens, pro ſua erga Amplitudinem tuam beneuolentia voluit. Sed vt eo vnde cęperat, redeat oratio, ne fortè pleriſque parcior fuiſſe videbor in coaceruandis Scriptoribus, meq́; complures*

obli-

ꝺbliuionis tenebris inuoluiſſe dicent. Sic opinantibus breuiter reſpondeo, quod non omnia poſſumus omnes. Quis enim Carmeli noſtri neſcit amplitudinē? Quo nō protulit palmites et ramos? Quis neſcit indies ex eo Ordine tāquā ex equo Troiano inſignia ingenia turmatim oriri? Preterea quem non latet mea curta ſupellex, quo minus ad omnes orbis angulos integrum fuerit literas deſtinare, non ſolùm non de inſignium virorum (preſertim Scriptorum) inopia conqueretur, ſed de tanta copia admiratione afficietur. Reſtat alius ſcrupulus eximendus. Dicet ne fortè quiſpiam me hic nonnullos admiſcuiſſe, quos tamen cōſtat nihil hactenus typis tradidiſſe, & ob id nō debere inter Scriptores numerari. Fateor equidem me hac in parte nonnihil animo indulſiſſe: uerùm & ego ſimiliter hos interrogo Num Hieronymum, Auguſtinum, Cyprianum, Lactantium, Thomam Aquiantem, Bonauenturam, Bachonem, & VValdenſem ac alios complures Eccleſiæ Doctores inter celebres Scriptores numerent. Certè ſi hi duntaxat Scriptores appellandi ſunt, qui libros imprimendos tradiderunt, nemo dictorū, Scriptor cenſendus erit cùm nullus eorum aliquid imprimi curarit. ſiquidem ab hinc annis plus minus centum & octoginta, ars imprimendorum librorum à Belgis noſtris reperta fuit: Sed hæc parerga. Si quīd quiſpiam arrodere, reprehendere, vngue veruq; notare, thita præfigere uoluerit, nonnullos minus, aut plus æquo laudaſſe dixerit, nihil ad me attinet. ſatis mihi nihil preter animi opinionem

ſcrip-

ſcripſiſſe. Sicubi erratum fuerit, moneant, corrigant, Homo enim ſum, & nihil humanum à me alienum puto. Vale vir integerrime, & contra (ſi opus fuerit) Criticorum tela tua tutela defende. Florentię in Carmelo noſtro nono Kalendis Maij anno 1593.

ANTONII STELLII FLORENTINI ad Reuerend. Patres Carmel. Epigramma.

SI tantum potuiſſe virum ſuccendere pectus
Nobilium Heroum ſplendida facta patet
Vt fictos auro vultus, vel marmore Auorum:
Ingenuos animos exacuiſſe ferant.
Perleget hæc veſtrum quiſquis deſcripta libello,
Doctrinæ hunc capiet, vel probitatis amor.
Hic namque illuſtres veſtro de ceſpite Patres
Extant, Carmeli hic gloria prima chori.
Accipiat quiſque, & ſtudeat componere mores
Moribus iſtorum: ſicque beatus erit.

Clariſsimo, Doctiſsimoq; viro D. Ceſari Bamberino Florentino, Liberalium artium atque Medicinæ Doctori eximio, amoris & gratitudinis ergò F. Petr. Lucius poſt recuperatam valetudinem poſuit.

LAVS immenſa DEO immenſo aſcribenda, quòd ipſe
Noſtra ſalus; manibus ſitque locata ſuis.
Attamen innumeras teneor quoque reddere grates
BAMBERINE tibi, nam tua ope hoc Opus eſt.
Quid valeas Medica (experti cognouimus) arte,
In me declarat tempore parta ſalus.
Tempore parta ſalus Operi ſuperàddere finem
Contulit, hinc ſummo gloria ſumma DEO.
Quid verò valeas pietate, ſcientia, & omni
Virtutum genere, hoc vita probata probat.

D. IOANNIS TRITHEMII SPANHEMENSIS ABBATIS,

Ordinis S. Benedicti, in librum à ſe anno 1492. conſcriptum de illuſtribus Scriptoribus Ordinis Carmelitarum

PRAEFATIO.

POSTQVAM auxiliante Domino noſtro IESV CHRISTO primum intenti noſtri Opuſculum De Laude Ordinis Carmelitarum abſoluimus, libet nunc ſecundum exordiri, in quo, fauente VIRGINE MARIA, De Viris illuſtrib. qui uarijs in eo tẽporibus claruerunt, ſumus habituri ſermonem. Cauſa uerò ad eam prouinciam ſubeundam, duplex nos impulit: quarum altera Fratres reſpicit, altera detractores. Credimus enim ad ædificationem iuniorum Fratrum nõ mediocriter proficere, ſi Viros eruditione inſignes, qui in Ordine præceſſerunt,

runt, ad eorum notitiam curemus reuocare. Per hoc namq; doctiſſimi viri laboribus ſuis condignam immortalitatis memoriam apud poſteritatem accipiunt, & minores eiuſdem Ordinis Fratres, ad amorem Scripturarum prouocantur.

Secunda huius Cathalogi cauſa eſt æmulatio detractorum, qui Ordinem Carmeliticum tanquam infructuoſum deſpiciunt, dum paucos in eo Scriptores Eccleſiaſticos, et Doctores floruiſſe credũt. Nos autem dolentes tam ſancto, ſacratiſſimoq; Ordini ex ignorantia oblocutorum iniuriam fieri, Doctorum qui in eo varia ſcripſerunt Catalogum, qua licuit breuitate, ordinauimus, in quo Scriptores omnes, quotquot notitiam noſtram inciderunt, digeſſimus. Et quanquam multi doctiſſimi viri huius Ordinis ante tranſmigrationem, in Palæſtina florentes, multa conſcripſerint: tamen cùm nobis eorum Opuſcula incognita ſint, paucos conſignauimus è pluribus.

Omiſſis itaque his qui in Iudæa ab initio claruerunt, eorum duntaxat mentionem facere inſtituimus, quos clarum eruditionis ſuæ ſplendorem dediſſe in Europa ſcimus. Neque tamen omnium eorum facere mentionem qui floruerũt poſt tranſmigrationem potuimus, eò quòd Opuſcula eorum, & tempora ignoramus. Reliquimus eiuſdem Ordinis cultoribus eam prouinciam, vt vbi nos ex infirmitate defecimus, ipſi noſtrum defectum ſtudeant emendare. Iam nunc itaque propoſiti ſumamus exordium.

PE

PETRI LVCII
AD LECTROEM.
PRAEMONITIO.

TOTVM, benigne Lector, optimi viri Trithemij libellum de illuſtribus Scriptoribus Ordinis Carmelitici huic Operi inſertum inuenies, ſed in ordinem alphabeticum redigentes, hic primus eſſe non potuit, quem Trithemius poſuit. Præterea vbicunque hęc vox Trithem. poſt Scriptoris elogium non extiterit, ſcias hunc nos aliunde aſcripſiſſe, & Operum catalogum deſumpſiſſe. Primus autem in ordine quem Trithemius ſequebatur, erat Ioannes Hieroſolymitanus, quem infrà ſuo loco inuenies. Cæterum haudquaquam Scriptorum vitas, aut omnia præclarè geſta conſcribere voluimus, cùm illud non Bibliothecam, ſed Hiſtoriam texere fuiſſet. Verùm Laconica breuitate contenti, eorum duntaxat Elogia & Encomia congeſsimus, quorum notitiam habere potuimus. Non enim omnia poſſumus omnes.

Quem minus iſta iuuant, noſtris meliora, precamur,
Promat; ſin placeant, habeat communia mecum.

Vale Carmelitane Lector, & quali veſtiris pallio, tali æquum eſt te hæc legere animo.

AEGIDIVS FABRI.

AEGIDIVS FABRI Sacræ Theologiæ Doctor egregius, modicis, ſed honeſtis parentibus Bruxellæ natus, adcò in diuinis & humanis literis profecit, vt cunctis non ſolùm charus, ſed & venerabilis extiterit. Huius conſilijs nonnunquam vſus Maximilianus Imperator, eius cauſa Carmelitarum Conuentui infinita propemodùm bona contulit, quemadmodum plurima Imperatoriæ liberalitatis ibidem extant argumenta. Vir hic eruditiſs. plurima conſcripſit, quibus nomen ſuum ab obliuionis iniuria pulchrè vindicauit, præſertim ſuper Sententias libros quatuor. Varia commentaria in Euangelia & Epiſtolas S. Pauli. Sermones per annum, tam de tempore quam de Sanctis libros duos. Orationes & Collationes varias, & alia nonnulla.

ANNOTATIO.

Annus obitus illius doctiſſimi viri fuit, niſi me fallit memoria, 1506. Sepultus in Carmelitarum Bruxellenſium monaſterio à latere ſummi altaris. Huius ſepulchro noſtro tempore vidimus ſuperpoſitum ſarcophagum ſiue petram ſepulchralem elegantiſſimè ſculptam

ptam, in qua eius effigies cernebatur; verùm hæreticorum veſania, annis ſuperioribus cunctis dicti Conuentus Fratribus ob Chriſti fidem in exilium actis, præter infinita incommoda illata, etiam hanc abſtulit, & in vſum aliquem prophanum conuertit. Dicti AEgidij noſtri latus claudit nobiliſſimus quidam Princeps Hiſpanus, qui iampridem in Regio exercitu multorum millium armatorum dux à Rege conſtitutus, in Belgio moritur, ſepultus anno 1587. in vigilia Natiuitatis Domini. Meminit eius tanquam viri celeberrimi Ludouicus Guicciardinus Florentinus, ſcriptor nobiliſſimus in Deſcriptione ciuitatis Bruxellæ; ſimiliter & D. Cornelius Callidius, Canonicus Goudanus, lib. de Scriptorib. illuſt. ab anno 1500. vſque ad ſua tempora. extat liber hic excuſus Moguntiæ.

ALANVS DE LYMNA.

ALANVS DE LYMNA, claris & honeſtis parentibus in Anglia natùs, omnes ingenij & eruditionis neruos ad CHRISTI cultum conuertit. Erat autem vir in diuinis ſcripturis egregiè doctus, & in humanis non mediocriter verſatus, ingenio placido & benigno, eloquio ſatis diſerto. Quæ verò ſcriptis mandauit, pauca ex multis ſunt hęc ſubiecta:

De vario ſcripturę ſeſu. lib. 1.
Moralia Bibliorum. lib. 1.
Sermones notabiles. lib. 1.
Elucidarium Scripturæ. lib. 1.
Scriptorum Britaniæ Indices multi.

ANNOTATIO.

Indices Scriptorum Britanniæ enumerat Ioannes Baleus, qui etiam ſcripſit vitam huius doctiſſimi viri,

ut te

vt teſtatur eruditiſſimus P. M. Iacobus de Plebe, Ordinis Seruorum, in Collegio Piſano hodie Theologiæ Profeſſor publicus, in quodam Indice aliquot Scriptorum illuſtrium Carmelitarum R. P. Magiſtro Nicolao Aurifico tranſmiſſo. Floruit Alanus anno Domini. 1420.

S. ALBERTVS DE DREPANO.

ALBERTVS DE DREPANO, Prior Siciliæ Prouincialis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus atque doctiſsimus, vita quoque & conuerſatione deuotus, miraculisque adhuc viuus coruſcans, multa vtilia pro ædificatione Fratrum ſcripſiſſe dicitur, quæ tamen ad manus noſtras non venerunt. Moritur in ciuitate Meſſaneñ. Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo, inditione quinta, ſeptimo nonas Auguſti, ſignis glorioſus. Trith.

ANNOTATIO.

Alius eſt hic Albertus ab illo Patriarcha Hieroſolimytano, qui Carmelitis uiuendi Regulam ex Baſilij aliorumq; placitis præſcripſit. Non enim ille Carmelita fuit, ſed unicus Carmelitarum fautor & defenſor. Cęterum Alberti noſtri meminit eruditiſſimus uir, Hermanus Schedelius in ſua Temporum hiſtoria hiſce uerbis: Effulſit quoque, inquit, Sanctus Albertus de Trapano Carmelita Siculus, uir meritis, ſignis doctrinaq; clarus, & totius perfectionis exemplar. hæc ille.

AL-

ALBERTVS DRAGA.

ALBERTVM DRAGA BRIXIENSEM, Conuentus Bononienſis Priorem vigilantiſsimum, ſacræ paginæ Profeſſorem eruditiſsimum ex fida relatione eſſe didici, multaq́; præter eruditiſsimas per Quadrageſimam Conciones ſcripſiſſe intellexi, quę acri ſuo iudicio limanda & expolienda adhuc premit. Cæterum, quàm egregiè ſeſe in diuerſis ſępius publicè habitis Diſputationibus geſſerit, norũt omnes qui eundem magna cum admiratione audiuerunt. Viuit vſque hodie Bononię dum hæc ſcribimus, 1592.

ALPHIVS MATHIOLVS.

ALPHIVS MATHIOLVS, natione Siculus, vir celeberrimus, ac totius Ordinis noſtri Procurator Generalis, in diuinis & humanis litteris exercitatiſsimus. Dum hæc ſcribimus adhuc vitalibus vtitur auris, ac in Romanorum Sapientia celeberrima, Profeſſorem agit eruditiſsimum. Pręter doctiſſimas lectiones Theologicas, & Philoſophicas, Conciones per ſacrum Quadrageſimale tempus, Orationes denique varias, & egregias lucubrationes in Metaphyſicis, multa alia quoq; ſcripſiſſe pro comperto habeo, quę alias nominatim enumerabuntur. Huic incomparabili Viro, à teneris Virtute & eruditione nihil antiquius fuit. & ob id perpetuò quaſi clariſsimis ſacræ Religionis officijs & dignitatibus decoratus, tandem ad ſublimè Procuratoris culmen euectus, egregiè Spartam quam nactus eſt ornat & adminiſtrat. cui (licèt hactenus nondum cognito) exiguum amoris indicium ponimus, optantes vt Alphium

Alpha & Omega Dei, ſummiq́; potentia Patris
Chriſtus, ab excelſo qui temperat omnia Olympo,
Quiq́; poli conuexa regit, Trinacridos almam
Conſeruet ſobolem, egregium decus Vrbis et Orbis.

B.AN-

B. ANDREAS DE CORSINIS.

B. ANDREAS DE CORSINIS ante natiuitatem à parentibus Dei & Mariæ ſemper Virginis cultui dedicatus, quinto-decimo ętatis ſuę anno Ordini donatus eſt. Hic nedum generis, verùm & ſanctitatis nobilitate pręclarus, literarum ſtudijs in alma Pariſiorum academia ſufficienter inſtructus, in patriam rediens, conuentui ſuo Florentino præfectus eſt. Tandem diuina reuelatione cogente, Eccleſię Feſulanæ curam & Epiſcopatum ſuſcepit, & annis plus minus duodecim ſanctiſsimè rexit. Cæterum poſt quamplura ab eodem conſcripta volumina, poſt vigilem Dei ouium curam, in prædicando & hortando, poſtq; ſuis eximię ſanctitatis relicta exempla, anno Domini 1373. tertiodecimo die poſt Chriſtum natum migrauit ad cœli terræq; Dominum. anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo primo, qui multis in vita & poſt mortem miraculis clarus effulſit.

ANNOTATIO.

Huius Sanctiſſimi viri corpus maxima veneratione aſſeruatur in celeberrimo noſtro Conuentu Florentino, à latere ſiniſtro ingredientis è terra ſubleuatum ſatis eleganti ſepulchro incluſum, ſinguloq; ſeptennio aut quinquennio maxima totius cleri & populi frequentia ſuę depoſitionis die videndum exhibetur. Vitam eius conſcripſit non minus piè quam eleganter Reuerendiſs. D. Franciſcus Cattanius Diacettus, uirtute & eruditione nobilis Patricius Florentinus, ac hodiernus Feſulanus Præſul, uerum Epiſcoporum exemplar & ſpeculum. & Reuerendiſs. D. Gabriel Flamma, Venetus ex Canonico Regulari Cluſienſis Epiſcopus, vir eloquentiſs. & in utroque genere ſcientiæ eruditiſſimus.

AN-

S. ANGELVS HIEROSOLYMITANVS.

S. Angelvs Hierosolymitanvs, nobilibus parentibus Hieroſolymis natus, ab infantia die noctuque Deo ſeruire ſtuduit, planéque ſecundum nomem ſuum Angelicam in terris vitam agens, omne tempus ſacrarum literarum ſtudijs, vigilijs ac orationibus impendit. Is cùm maximè in Prædicationis officio reſplenderet, Romæ à beatiſsimis viris Dominico & Franciſco honoratus eſt, Tandem diuino admonitu in Siciliam ad Leocatam oppidum profectus, multis à peccandi conſuetudine ad melioris vitæ ſtudium verbo & exemplo reuocatis, ob vitæ ſanctitatem & Catholicæ fidei profeſſionem ab impiis inceſti Beringarij complicibus trucidatur tertio Nonas Maij, quo die eius feſtiuitas à cunctis Carmelitis (ſede Apoſtolica annuente) piè celebratur.

ANNOTATIO.

Eximiæ ſanctitatis teſtimonium de hoc ſanctiſsimo viro præbet pientiſsimus ille Scriptor Carthuſianus, autor Faſciculi temporum, ſub hiſce verbis: Sanctus Angelus Hieroſolymitanus Carmelita, inquit, vir ſanctioribus annumerandus, & (ut paucis multa dicam) nominis ſui verè ſpeculum, velut nubes imbrifera prædicando circumquaque diſcurrens, innumeras Chriſto lucrifecit animas: cui etiam tandem poſt quãplura miracula, effuſione proprij ſanguinis mortis vicem reddidit. hæc ille, ad annum 1224. Quod ad Franciſcum & Dominicum attinet, huius rei factum fuſius deſcribit Doctiſs. Bapt. Mantuanus in Apologia pro Carmelitis, verùm multò elegantiùs libro 5. faſtorum, hunc in modum canens:

Angele Carmeli venerabilis incola montis & paulò poſt
Cui natale ſolum fuit in regione Syriſſa.
Cum mare tranſiſſes cupiens inuiſere Romæ
Relliquias, ſacros cineres, monumentaq; patrum,
Et Lateranenſis ſtares in limine templi,
Contigit æternis res commemoranda diebus:
Nam minor Etruriæ veniens de monte Lauernæ
Ad tua Franciſcus ſeſe veſtigia flexis
Proſtrauit genibus, ſacris dedit oſcula plantis;
Inſuper adiecit: Salue pater Angele montis
Incola Carmeli, te mors manet inclyta, Chriſti
Teſtis eris, tibi rex Diuum decus annuet iſtud.
Te quoque Eranciſco memorant reſponſa dediſſe
Talia: Soluendæ tanto pro munere grates
O Franciſce Deo: ſed erit tua gloria nuſquam
Inferior, tibi Chriſtus enim ſua vulnera quinque
Imprimet, & fies Chriſti patientis imago,
Domnicus Hiſpanis qui tunc veniebat ab oris
Forte aderat tam mira notans præſagia Patrum,
Et tulerat caſus mundi hæc tria lumina in vnũ. &c.

ANGELVS CAPREOLVS.

ANGELVS CAPREOLVS, Brixienſis, ſacrarum literarum ſtudioſiſsimus, & in vtroque Iure verſatiſsimus, vt facilè perſpici poteſt, ex luculentiſsimo quodam Opere typis impreſſo cui titulus STELLA. Opus iuſtæ magnitudinis in ſeptem Rubricas digeſtum, Confeſſoribus & animarum curam gerentibus non inutile. tractat enim de variis caſibus circa negotia Religioſorum, Curatorum, Epiſcoporum, Vſurariorum, &c. Extat excuſum Brixiæ per Io. Antonium Brixianum

xianum anno 1511. ſtudio & diligentia R. P. Auguſtini Paſſirani autoris nepotis, cuius in fronte Operis extat epiſtola dedicatoria. Plura alia ſcripſiſſe credo, quæ tamen me latent.

ANGELVS CASTIGLIONI.

ANGELVS CASTIGLIONI, Patricius Genuenſis, vir inſigniter eruditus, ac ſacræ Theologiæ Doctor egregius, in declamandis ad populum Sermonibus diſertus & eloquẽs, vt pote qui per annos 36. in celeberrimis quibusque Italiæ ciuitatibus ſacro Quadrageſimali tempore conciones habuit. Hic ad inſtantiam Illuſtriſs. D. Cardinalis Paleotti, Homelias per totum annum conſcripſit, quę tandem, ſic curante Illuſtriſs. D. Card. Borromæo, typis traditæ ſunt, ſtudio & induſtria admodum R. P. Franciſci Adorno Societatis Ieſu, præfati Carmelitæ nepotis. Multiplicia præterea Quadrageſimalia ſcripſiſſe fertur, ac alia lectu non inutilia, præſertim librum cui titulus De animaduerſione adhibenda in legendis Scriptoribus antiquis, quem morte preoccupatus 1584. impreſsioni tradere non potuit.

ANGELVS CORADELLVS.

ANGELVS CORADELLVS Brixianus, almæ Vniuerſitatis Pariſienſis & Bononienſis Theologię Doctor excellẽs, ingenio clarus, & ſermone diſertus, præter eruditiſsimas in diuinis Scripturis lucubrationes, etiam in Logicalibus inſignẽ tractatum conſcripſit typiſq; mandauit. Floruit anno 1530. fuitque dum viueret Vicarius Gen. Cong. Mant. ſolertiſs. Tempus & locus obitus illius me fugiunt.

ANTONIVS MARINARIVS.

ANTONIVS MARINARIVS Appulus Procurator Generalis, ſacræ Theologię Doctor celeberrimus, vir vndecunque doctiſsimus floruit tempore Concilij Tridentini. fuit hic acri & vehementi ingenio, & eximia eloquentia præditus, & in

in diuinis ſcripturis exercitatiſsimus vt facilè colligitur ex doctiſsimo quodam libro typis excuſo de Conſonantia IESV & Prophetarum. Reliqua quæ ſcripſit nos latent, quemadmodum & annus obitus.

ANNOTATIO.

Hi qui eum nouerunt, viua voce prædicant fuiſſe virum inſignem & in diſputationis certamine apprimè verſatum, qui, vt audio, in Concilio Tridentino egregium ſui ingenij ſpecimen præbuit, qui ad quinquaginta vſque hæreticorum argumenta ex ordine recenſens, eorundem rationes & auctoritates adducens, demum ordine retrogrado ab vltimo ad primum vſque clariſſimis Scripturis & rationibus confutauit & eliſit. Rarum profectò memoriæ exemplum. Huius rei teſtes & admiratores fuere complures promiſcui Ordinis & dignitatis viri doctiſs. ex noſtris autem Reuerendiſs. D. Laurentius Lauretus Venetus, in præſentiarum Adriæ epiſcopus longè digniſſimus, & R. M. Nicolaus Aurificus Senen. Liber verò Antonij huius inſcriptus & dedicatus eſt Reuerendiſs. D. P. Nicolao Audeth Cyprio, totius Ordinis noſtri Gen. Floruit verò abſolutiſs. hic Theologus anno Domini 1530. Plurima alia adhuc conſcripſit typis mandanda, ſed morte præuentus, ſupremam, vt aiunt, manum imponere non valuit.

ARNOLDVS DE AVSTRIA.

ARNOLDVS DE AVSTRIA, natione Teutonicus, Conuentus Viennenſis, & Gymnaſij eiuſdem vrbis Doctor, in diuinis Scripturis valdè eruditus, & in ſeculari philoſophia nota-

notabiliter doctus, ingenio ſubtilis, & diſputator quęſtionum Scholaſticarum egregius; fertur nonnulla præclara ſcripſiſſe Opuſcula; quibus memoriam ſui poſteris commendauit; è quibus extat volumen inſigne

Super ſententias lib. 4.

Sermones quoque & variæ Quæſtiones. Claruit in præfato gymnaſio Viennenſi, vbi & dictam Lecturam libri Sententiarum publicè legit. Trith.

ANNOTATIO.

Eſt Vienna Auſtrię metropolis ſedes Imperatoris, vrbs inclyta, & omnium vrbium quas Danubius fluuius maximus ſuſtinet, & ædium magnificentia & rerum copia clariſſima. Hac in vrbe olim Carmelitas ampliſſimum Conuentum habuiſſe audio, verùm ante paucos annos ſæua ſæuiente peſtilentia cunctis ferè Carmelitis morte ſublatis, Patres Societatis Ieſu locum noſtrum occupaſſe, ex aliorum relatu didici. Annus verò quo præfatus Arnoldus noſter floruit, aſſignatur in Indice Piſano 1400.

ARNOLDVS DE BISSALIS.

ARNOLDVS DE BISSALIS, Epiſcopus Galtelienſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus; & ſæcularis Philoſophiæ non ignarus, ingenio profundus & clarus eloquio, in declamandis ad populum ſermonibus excellentis opinionis. Scripſit notabile opus Sermonum dominicalium, quod ſic incipit: In medio Carmeli paſcetur Baſan. Cætera quæ ſcripſiſſe dicitur, nos latent. Trith.

ARNOLDVS BOSTIVS.

ARNOLDVS BOSTIVS natione Teutonicus, Conuentus Gandauenſis in Flandria, vir in diuinis Scripturis ſtudio-

ſtudioſiſsimus & valdè eruditus, atque in ſæcularibus literis egregiè doctus, & ingenio promptus & clarus eloquio, Theologus, Philoſophus, & Poeta inſignis, metro exercitatus & proſa, vita & conuerſatione deuotus, & regularis diſciplinæ amator & cuſtos præcipuus: Scripſit metro & proſa quædam præclara opuſcula, quibus nomen ſuum multis innotuit, è quibus iſta feruntur: Volumen proſaicum verſibus mixtim interpoſitis, quod de Patronatu Dei genitricis, Carmelitici Ordinis prænotauit. lib. I.

De illuſtrib. viris Ordinis ſui. lib. I.

De illuſtrib. viris Ordinis Cartuſieñ. lib. I.

De puriſsima Conceptione DEI Genitricis & VIRGINIS MARIAE contra Vincentium de nouo caſtro. lib. I.

De quatuor nouiſsimis. lib. I.

Sermones quoque varij.

Epiſtolas tam ad me, quam ad alios, multas edidit, quarum incertus eſt numerus.

Carmina etiam quamplura de varijs materijs edidit. Alia quoque nonulla compoſuit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Viuit adhuc Gandaui varia componens, & multos ad ſtudium literarum prouocans. Trith.

ANNOTATIO.

Vixit hic doctiſſimus vir tempore (vt ex præmiſſis liquet) D. Trithemij anno videlicet 1492. & biennio poſt, vt idem teſtatur Trithem. in opere maiori de Scriptoribus Eccleſiaſticis, verùm poſtea complura alia volumina eruditionis plena, quæ paſſim in Belgio noſtro circumferuntur compoſuit, quorum nomina tamen impræſentiarum ad memoriam reuocare non potui. Honorificam huius uiri mentionem faciunt omnes ferè ſui æui ſcriptores præſertim R. P. Iacobus Philippi

Ordinis

Ordinis S. Auguſtini Heremitarum vir eruditiſs. in Supplement. Chron. ſimiliter & Marcus Guazzonius, Ludouicus Guicciardinus in Deſcript. Gandaui, & Deſiderius Battauus in epiſtolis, & alibi alij viri clariſsimi.

BAPTISTA FERRARIEN.

BAPTISTA FERRARIENSIS, vir in diuinis ſcripturis eruditus & in ſecularibus literis egregiè doctus, metro excellens & proſa, vtriuſque linguæ peritus, in declamandis ſermonibus ad populum excellentis ingenij: ſcripſit multa inſtructa volumina, quibus nomen ſuum longè lateque diuulgauit, è quibus ſubiecta feruntur: Opus luculentiſsimum hiſtoriarum à CHRISTI natiuitate vſque ad noſtra tempora, quod Floridam prænotauit. Chronica quoque ſui Ordinis, lib. 1.

De ruina Romani Imp. lib. 1. Chronica Ferrarienſiũ. lib. 1.
De monte Syna, lib. 1. Sermones varij. lib. 3.
Vita Mecthildis, lib. 3.

Multa Epigrammata diuerſo genere metri compoſuit. Conuertit de Græco in Latinum complures ſermones B. Ioannis Chryſoſtomi, & alia plura nobis incognita. Viuit vſque hodie apud Ferrariam, & varia conſcribit. Hæc omnia Trith.

ANNOTATIO.

Fuit hic eruditiſsimus uir ſacræ Theologiæ Profeſſor egregius, cognomento Panetius. Dum viueret, à ſecretis, & intimus Conſiliarius Herculis primi, Illuſtriſ. ac potentiſ. Ferrariæ Ducis ſecundi. & preter ingenij incomparabilis dotes, etiam (vt audio) in

tempo-

temporalibus fuit diligens, prout ſummæ cuiuſdam induſtria complura Ferrariæ extant argumenta. Pleraq; , ſi non omnia huius viri Opera extant typis excuſa. Vidimus duntaxat inſigne opus Sermonum, Bononiæ impreſſum à Benedicto calcographo, anno 1506 qui & illud immortali noſtro Baptiſtæ Mantuano, in perpetuum perpetui amoris ſymbolum dedicauit. Floruit autem adhuc (vt in indice Piſano legitur) anno Domini 1494.

BAPTISTA MANTVANVS.

Corporis effigiem cernis, latet abdita virtus,

Mentis & ingenij conditor ipſe Deus.



Quo ad potuit fecit Sculptor: Diuina recuſant

Fingier humana dona recepta manu.

BAPTISTA MANTVANVS, vir in diuinis ſcripturis eruditiſsimus, & in ſæcularium literarum ſcientia nulli hoc tempore ſecundus, ſacræ Theologiæ Doctor inſignis, Phi-

Philoſophus, Orator, & Poeta celeberrimus, ingenio ſubtilis, ſermone diſertus, vita & conuerſatione præclarus, vtriuſque linguæ, Græcę videlicet ac Latinæ peritus, qui metro Virgilium, Ciceronem proſa æquat, ne dicam ſuperat, Sripſit vtroque genere ſtyli multa egregia volumina, quibus nomini ſuo per vniuerſum Orbem Chriſtianum celebrem famam acquiſiuit, è quibus ſubiecta feruntur.

TOMVS PRIMVS HABET.

Pſalmos ſeptem quos Bononiæ edidit, dum ciuitas illa lue peſtiſera premeretur anno ſalutis noſtrę 1482.

Apologeticon in laudem Poeſios & Poetarum, contra Maſtigophoros, & Caſtigatores ſuorum operum.

De horum temporum Calamitatibus, ſiue de ſeptem peccatis capitalibus. lib. 3.

Bucolicon, ſiue Adoleſcentiæ Eglogæ. 10.

Contra Poetas impudicè ſcribentes, Carmen.

Epigrammatum ad Falconem. lib. 1.

De morte contemnenda, Carmen.

Conſolatio ſuper morte Collæ Aſculani.

In obitum Petri Nebularij Carmelitæ, Nænia.

De morte Frederici Hiſpanioli, Carmen.

De morte Reuerendiſſ. P. Ioannis Soreth. Galli, Ordidinis Carm. Generalis.

Querimonia de morte Alexandri Corteſij.

De morte filij Ioannis Sebadini, Conſolatio.

Exhortatio ad Reges & Principes Chriſtianos, pro capiendis armis contra Infideles.

Vter ſit præſtantior, Orator, an Poeta.

De ſuſcepto Magiſterio Theologico, Carmen.

Contra Amorem, Carmen.

De Natura Amoris, Carmen iuuenile.

De vita B. Blaſij epiſcopi, & mart. lib. 2.

De vita B. Nicolai Tolentini. lib. 3.

De Bello Veneto. lib. 1.

Exhortatio ad Inſubres.lib.1.
Agelariorum libri 6.ad Conſaluum Ferrandum Agelarium.
De Cupidine marmoreo dormiente, Carmen.

SECVNDVS TOMVS.

Parthenices primæ,quæ Mariana nuncupatur. lib. 3.
Ad Beatam V. MARIAM, votum poſt febrim acerrimam.
Ad eandem Virg.pro extinguenda peſtilentia, Oratio.
Parthenices ſecundæ quæ Catharina dicitur.lib. 3.
Parthenices tertiæ B. Margaretæ agon. lib. 1.
Parthenices quartæ B. Agathæ agon.lib. 1.
Parthenices quintæ B.Lucię agon. lib. 1.
Parthenices ſextæ B.Apoloniæ agon.lib. 1.
Parthenices ſeptimæ B. Cæciliæ agon. lib. 1.
De vita B.Dioniſij Areopagitæ, lib.3.
De vita B.Georgij.lib. 1.
De vita B.Ludouici Morbioli Bononien̄.lib. 1.
In laudem B.Ioannis Baptiſt. Carmen.
In B.Albertum Carmelitam Siculum, Carmen
Faſtorum lib. 12. ſecundum duodecim anni menſes digeſti.
Vitæ ſuę Epitome ad poſteritatem.

TERTIVS TOMVS.

Alphonſus pro Rege Hiſpaniæ de victoria ad Granatā. lib. 6.
Trophæum Gonzagæ,pro Gallorū ex Italia expulſione.lib. 5.
De fortuna Franciſci Gonzagæ, Carmen.
Carmen Panegyricum in Robertum Sanſeuerinatem.
Somnium Romanum, elegans Carmen.
Carmen Panegyricum in Brixiam.
De Villa Io. Bapt. Refrigerij.
De Quercu Iulia, Carmen.
Siluarum.lib.4.

QVARTVS TOMVS.

Contra detractores, Dialogus.
Contra Calumniatores, epiſtola.
Ptolomæi Hiſpanioli Baptiſtę Mant. fratris, contra Detractores ſuorum Operum, Apologia.
Eiuſdem De licentiis antiquorum Poetarum Corollarium.
Baptiſtę Mantuani Tractatus de parte corporis Beatæ MARIAE, in qua conceptus eſt CHRISTVS.
Redemptoris Mundi Matris Eccleſię Lauretanæ Hiſtoria.
De variis interpretationibus ſacrę Scripturæ.
Apologia pro Ordine Carmelitarum.
Ioannis Trithemii Spanheimenſis Abbatis de laudibus. Ord. Carmelitarum.
Eiuſdem de viris illuſtrib. eiuſdem Ordinis.
Baptiſtæ Mant. de Patientia. lib. 3.
Eiuſdem De vita beata dialogus iucundiſſ.
Auguſtini Dathi Senen. de vita beata eiuſdē argumēti libellus.

Diuerſi quoque generis infinita & elegantiſsima carmina edidit, quę in lucem ſuo tempore prodibunt. Enimuerò tam promptus & elegans Verſificator eſt, vt ſimilem nunquam habuerit, ſi ad maieſtatem Carminis & omnis Philoſophiæ, ac eruditionis notitiā mentem appoſueris. Viuit vſque hodie in Italia Carmelitici Ordinis vnicum decus, princepsq; Doctorum, & multa componit in dies publicanda. Hæc ad verbum D. Ioannes Trithemius Abbas Ordinis D. P. Benedicti. lib. de Script. illuſtrib. Ord. Carmel. & Eccleſ.

ANNOTATIO.

Quicquid hucuſque de hoc viro incomparabili diximus, verbotenus deſumptum eſt ex dicti Trith. libello de Script. Carm. & Eccleſ. Cathalogus verò Operum decerptus eſt ex vltima (ni fallor) editione, quam anno 1576. dedit nobis honeſtus ciuis & diligens Ty-

rent. Ego, cùm perpetuò canepeius & angue, oderim deſidia, nihilq; melius indicem, quàm calamum incruentatum ſeruare, tamen habet & muſca ſplenem, & formicæ ſua bilis ineſt: Itaque cùm me plurimum huic Viro debere lubens agnoſcam, iniurius quodammodo, & in Ordinis mei caput ingratus iudicari poſſem, ſi eum, cuius librorum lectio, fecit ut me talem qualem haberet Carmelitana Religio, ſicco pede pertranſirem, & à Iouij mendacijs, ſtrophis tam rectis quam obliquis, & meris ſicophantijs indefenſum relinquerem. Ne tamen, dum ſequor ambages, & uerba & tempora perdam, paucis Baptiſtæ noſtri Elogium à Iouio illi tributum, non quidem adamuſſim, nec vllo maleuolentiæ animo, ſed veluti per tranſennam cribrabitur: Sic autem habet Iouius: Baptiſta *inquit,* Carmelitani Ordinis Princeps, ex Hiſpaniola gente honeſta, verùm ex damnato coitu natus, naturam, naturam ad carmen attulit. *&c. En benigne Lector, quàm ipſe Iouius, tanquam ſuimet immemor, in limine impingit, & in portu naufragium facit. Quæ eſt iſta contradictio? Quis enim hanc dicat gentem eſſe honeſtam, quæ liberos procreat illicito & damnato coitu? Quæ eſt iſta temeritas, tam audacter, tanquam ex Tripode ſibi incomperta aſſerere? Quàm hoc ſit euidens mendacium, mecum norunt Carmelitæ, & nobiliſsimi eius parentes & conſanguinei, quorum adhuc multi ſuperſunt Mantuæ, & quorum literæ apud me ſunt. vt interim nihil dicam, quam in nullius manu aut poteſtate ſit ex quibus naſcatur,*

aut

aut concipiatur. Aſt ne fortè, quia Poetarum fabulæ narrant, Gallum gallinaceum Iunoni parienti aſtitiſſe, parteſq́; obſtetricis obiiſſe, credemus & Iouium Mantuano naſcenti eiuſq́; matri parienti adfuiſſe? Verùm audiamus vlterius Iouium. Cæterum, *inquit*, Carmelitæ ſatis ad laudem fuit quòd per XV. ſæcula neglectos à ciuibus Andinos fontes ſalubriter ebiberit. *&c. & poſt pauca:* Octogenario maior, *inquit*, Mantuæ diſceſsit, non planè fœlix, quum in extremo vitę actu defenſionem contra Criticos ſcribere cogeretur. *&c. In tam paucis verbis non ſolùm alia contradictio, ſed & palpabile mendacium deprehenditur. Contradictio etiam vel cæco eſt perſpicua. Quomodo enim cohęrent illa,* Andinos, *ſeu Virgilianos,* fontes ſalubriter ebibit*: & hoc quod ſubiungit:* Moritur non planè fœlix, quum in extremo, &c. *Quàm feliciter & ſalubriter Andinos fontes Mantuanus noſter hauſerit, res ipſa clamitat, & omnium, tàm ſuæ quàm noſtræ ætatis eruditorum calculus comprobat, vt infrà demonſtrabimus. Mendacium autem eſt quod ait:* Octogenario maior Mantuæ diſceſsit. *Non ſolùm enim non octogenario maior, ſed etiam ſeptuagenario minor obijt. Natus enim eſt anno Domini 1448. tempore Nicolai V. Pont. Max. vt de ſe ipſe teſtatur in vitæ ſuæ Epitome. Moritur autem anno 1516. die 20. Martij, anno ętatis ſuę 68. in feſto Cœnę Dominicę anno IIII. pontificatus Leonis X. à quo mirificè amabatur & colebatur. Quòd ait Iouius, eum compulſum Criticis reſpondere,*

& id

& id quidem in extremo uitæ ſuę actu, vt ipſe ait, ludicra ſunt leuibus uulgo recitanda Poetis. Dum hęc ſcribo mihi in mentem uenit illud Ariſtotelicum, quo aſſerit, Mendacem illud præmij loco debere accipere, ut ſcilicet dum uerum dicat, illi non credatur. Igitur, candide Lector, vlterius Iouium audiamus, ſed non credamus. Sacrato, *inquit*, Poetæ mortuo, cucullati eius Ordinis ſacerdotes prolixè parentarunt, &c. *Quis vnquam Scriptor Catholicus & pius, ſacratos Deo miniſtros vocauit Cucullatos, aut eorum ſcripta cucullata? Sed Iouius ſibi lepidus uidetur & elegans, non ſolùm in Elogijs & Epiſtolis, ſed & alibi, cùm ſubinde Religioſos ſui temporis dicit ſcribere Latinos groſſos, libros cucullatos, & refectoriales. Subiungit pręterea Iouius:* Federicus autem Princeps marmoream effigiem cum laurea poſuit, quæ in arcu lapideo iuxta Virgilij Maronis ſimulacrum, pia Herclè, ſi non ridenda comparatione conſpicitur, &c. *Ridenda Herclè comparatio inter Virgilium, illaudati Iouis, Martis, Veneris & aliorum infernalium dęmonum laudes canentem: & inter Iouium, Chriſtianorum Poetarum Principi Deum Opt. Max. diuosq; cœleſtes diuino ingenio celebranti tam ſcurriliter detrahentem. Si ridenda comparatio, Ariſtarcho Iouio, ridendus certè Federicus, qui ridendum hoc poſuit. Ridendus S. P. Q. Mantuanus, qui hoc ridendum quotidie aſpicit, ueneratur & ſuſpicit. Imò potius ridendus Iouius, qui non ſolùm ridenda, ſed & propemodum*

impia

impia comparatione, Scotum acutiſſimum Franciſcanę Religionis Theologum, & ornamentum ſingulare (quem temerariè nimis uocat irriſorem diuinorum pręceptorum) & Mantuanum (ut alios complures omittam) ponit inter nonnullos, quorum Opera (ueluti Chriſtianę religioni contraria) à Concilij Tridentini Patribus carbone fuere notata & damnata. Stultum erat, credere defuturos qui & Scotum & Mantuanum laudibus ueherent, etiam ſi Iouius ſub ſpecie laudis eiſdem detrahere non ſtuduiſſet, tanquam altera manu panem, altera lapidem oſtendens.

Cęterum ſi Iouius Baptiſtam noſtrum ſtatua indignum, ſe uerò dignum exiſtimabat, certè in nullo magis vanitatem ſuam oſtendere poterat. At Baptiſta noſter non ſuo ære (vtpote cui nihil proprij) ſibi ſtatuam erexit: ſed hanc inclytus Mantuanorum Princeps, in animi grati ſymbolum, viro non ſolùm de ſuis Mantuanis, verùm de vniuerſa Eccleſia benè merito collocauit. Iouius, vt ſibi ſtatua erigeretur, & ſplendidum monumentum excitaretur, magnum pecunię pondus (vt ex ipſa inſcriptione colligitur) amicis reliquit: At Baptiſta noſter moriens, nullam corporis, maximam animæ curam & rationem habens, communi Fratrum ſepulchro conditus, poſt multos annos inter aliorum defunctorum corpora ſanie tabeq; conſumpta, ſolus integer, clarus, nitens, Ambroſium nectareumq; odorem fundens, non abſque ſanctitatis opinione repertus eſt, quæ res maximè mouit populum, vt communi ære, nitidiori (ut hodie piè conſpicitur) ſepul-

chro

chro extructo clauderetur. Prӕterea Iouium rogo, ſi illarum ſtatuarum alteram, Virgilij dico & Mantuani, illi datum & promiſſum fuiſſet demoliri; Virgilijne an Mantuani diruiſſet? Si Virgilij, ſine dubio gentilium, & infidelium inimicus futurus erat. Si noſtri Mantuani; Chriſtifidelium, nemo niſi impius hoſtem, non dixiſſet.

Prolixiùs certè & prӕter conſuetudinem hӕc, non ſine cauſa tamen in Iouium proſecutus ſum. etenim (vt dicitur) plerumque euenire ſolet, vt is qui quӕ vult dicit, nonnunquam quӕ non vult audiat. Si Iouius tam apertè ſub ſpecie Elogij Baptiſtӕ noſtro maledicendo, aliquam gloriam corraſit, volo vt eandem malè audiendo amittat. Si quis verò dixerit, in Iouium mortuum me hӕc ſcribere, reſpondeo & Iouium in Baptiſtam mortuum ſcripſiſſe. Nam ſi vixiſſet, ornatus eſſe ex ſuis virtutibus, ſuiſq; depictus coloribus. Iniquè enim cum Carmelitis ageretur, ſi impunè cuilibet in illos maledicta iacere permitteretur, neque ipſis fas eſſet refellere. Sed Iouio relicto, ad Baptiſtam redeo. Is itaque poſtquam Generalatus munus ſtrenuè aliquot annis geſſiſſet, quo liberiùs ſacris literarum ſtudijs vacare, ſupremum (vt de eo ſcribit vir ſӕcularis vtriuſque linguӕ peritiſs. Iudocus Badius Aſcenſius) qui in eo Ordine eſt, Magiſtratum deponens, humilitatis magiſter, virtutum exemplar, ſtudioſorum parens, ſtudiorum cultor & propagator ad extremum vſque vitӕ diem extitit. Hoc viuente, Maro reuixit, hoc moriente, Maro obiit. Sed diſſimi-

li ratione vterque uixit. Maro vetus omnes ingenii ſui neruos in Iouis, Martis, Veneriſq; laudes contriuit: Maro nouus heroico cothurno veteres deos expulit, vexillum Crucis extulit, CHRISTI gloriam amplia uit; veteri Maroni in paucis minor, in multis par, in plurimis aliquot paraſangis ſuperior. hæc ille.

Clariſsimorum aliquot Scriptorum de Mantuani ingenio & doctrina, iudicia & teſtimonia.

Præter quotidianæ experientiæ exemplum, quo publico quorundam Catholicorum Principum edicto, tam publicè, quàm priuatè in ſcholis legitur, diſcitur; & enarratur, etiam infinitis doctiſſimorum uirorum teſtimoniis, eius eruditio comprobatur. D. Petrus Caniſius, è ſocietate IESV, vir cum primis pius et eruditus, in Opere *illo quod meritò Marianũ appellauit, licet ſæpiſsime illius quam honorificè mentionem faciat, tamen teſtimonium illud quod primò ſeſe offert, apponemus:*

Quid verò, inquit, ſi Poetam Chriſtianum, pium & diſertum adſciſcamus, qui hoc nobis caput abſoluat, ſimulq; ſuo carmine Mariæ in templo ſtudia & mores exponat? Is Baptiſta Mantuanus eſt, in hunc modum non minus verè, quàm eleganter canens. &c. hæc ille. lib. 1. cap. 11. in fine.

D. Cæſar Baronius Soranus, Congregat. Orat. Sacerdos, vir vndecunq; doctiſsimus, in ſuis ad

Mar-

Martyrologium Roman. elegantiſs. Notationibus ad 20. Iulij, & 13. Decemb. ita meminit: Baptiſta Mantuanus, inquit, præclarus Poeta, Sanctæ Luciæ agonem heroico Poemate egregiè decantauit, ſicut & Sanctarum virginum Appolloniæ, & Margaritæ, &c.

Ioannes Picus Mirand. in Epiſt: Olim, inquit, ad te non ſcripſi, Pater optime, ſed interim legi quæ ſcripſiſti Diuina ſcilicet, atque Sanctiſsima tua Poemata, in quibus ea rerum maieſtas, is ſplendor eſt eloquentiæ, vt certatim in illis palmam ſibi vendicare verba, atque ſententiæ videantur. Hoc vnum dixero, delectari me adeò lectione tuorum Carminum, vt ferè quotidie, cùm me vel tędium vel fatigatio cœperit, in illa quaſi in hortum delitiarum ſolitus ſim ſecedere, vnde animo tanta ſemper oboritur voluptas, vt nihil cupiat magis, quàm iterum fatigari, vt iterum recreetur. &c. hæc Picus anno 1490.

Ioannes Iouianus Pontanus in Epiſt: Et initæ, inquit, Romæ, memor ſum amicitiæ; & ingenij tui excellens vis, momentis penè ſingulis id efficit, vt doctrinæ, vel ſumma etiam cum admiratione, meminerim tuæ. An eius obliuiſcar, quem Latinæ Muſæ non memorabilem modò, verùm maximè etiam admirabilem, & noſtris faciunt, & futuris facturæ ſunt ſæculis? Mitto ad te deguſtatiunculas ex Hiſtoria mea quaſdam, quæ aures fortaſſe non omninò offendent: Tu paucis ex his conijcere poteris reliqua. Eſt enim in manibus de Poeticis numeris; deq; hiſtoria

lege Dialogus, De magnanimitate liber: De ſtellis volumen abundè magnum, item De fortuna, quibus abſoluendis, vel expurgandis potius do operam, quorum poſt iudex ipſe futurus es. Hæc Pontan. anno 1499. Philippus Beroaldus in Epiſt: Perlegi, inquit nuper diuina diuini Baptiſtę Carmelitæ Poemata, quę euidenter oſtendunt parentem rerum naturam in progenerandis Poeticis ingenijs, haudquaquam decoxiſſe, Mantuamq; nobis alterum Maronem ex Palingeneſia Pythagorica reddidiſſe. Equidem Vates omnes priſcos adorandos puto, maximeq; Virgilium, cui hic noſter proximus, longo quidem interuallo, ſed tamen proximus, in quo ingenium copioſum, & mira doctrinę multijugę fœlicitas exuberat, fœcundus prorſus artifex, vtpote qui verſuum millia plurima condiderit. Cuius Poemata terſa, erudita, conſummata, præſeferunt quandam facilitatem fœliciſsimam, quæ omnia commendat facilitas Scriptoris, & doctrina religioſior, & Eccleſiaſticum dogma intertextum, quibus veluti pigmentis precioſis colorata ſplendeſcunt. Meritò itaque viuens ea fruitur gloria, quam poſt cineres pauciſsimi conſequuntur; eamq; viuus ſentit, quæ poſt fata præſtari magis ſolet, venerationem. Intereſt poſteritati ſuę, monſtraturq; digito prætereuntium, nec ſolùm habetur in manibus & ediſcitur, verùm etiam in Scholis enarratur, & inde ſaluberrima Tyrunculis dictata Grammatiſtę præſcribunt. Gaudeo ipſe mecum, & geſtio, quòd talem virum non ſolùm familiarem nouerim, ſed etiam habeam Confeſſo-

rem. Hęc Beroaldus.

Cęterum quod ad eius ſtatuam marmoream attinet, ea Mantuę (velit nolit Iouius) piè conſpicitur in arcu triumphali è regionę Franciſcanorum monaſterij, dextrum Virgilio, ſiniſtrum Mantuano, clariſsimi Mantuanorum Marchionis quarti Franciſci latus claudente, cum tali Elogio:

ARGVMENTVM VTRIQVE
INGENS, SI SAECLA COIRENT.

Prǽterea Baptiſtam noſtrum tanta, quanta Latinorum Poëtarum nemo alius typis euulgaſſe, non ſolum teſtatur Doctiſsimus uir Ptolomæus Spaniolus libro de Licentiis antiquorum Poëtarum, ſed & ipſe non temerè Ptolomæo aſtipulor, etenim F. Franciſcus Minutius à Rada Carmelita pius, & optimę ſpei Theologicę facultatis alumnus, accuratè calculi ſubducta ratione, deprehendit tribus priorib. Tomis (nam quartus proſaicus eſt) ultra Quinque et quinquaginta Heroicorum Carminum millia contineri.

peràm legitur in exemplaribus Belgicis) ſed ſimpliciter Baptiſtę-Mantuani appellatione vocatum. Huius rei me pij Carmelitę Mantuani monuerunt.

Operum ipſius à Sancta Inquiſitione approbatio eſt talis:

Hi quatuor Tomi operum Baptiſtę Mantuani, nihil continent Sacrę Catholicę Romanę religioni contrarium, & digni ſunt qui imprimantur, vendantur, & legantur; quod atteſtor
D. Henricus Zebertus à Dunghen
Canonicus Antuerpienſis. S. T. D.

BARTHOLOMAEVS RACCOLI.

BARTHOLOMAEVS RACCOLI, vir humaniſs. & vltra quam credi poteſt benignus & eruditus, totius Carmelitici Ordinis Prior Generalis vigilãtiſsimus, in diuinis Scripturis optimè exercitatus, omne tempus ferè in ſcribendo & docendo contriuit. Hic ſupra modum charus fuiſſe perhibetur Eugenio Quarto Pont. Max. à quo anno ſui Pontificatus quarto, Maſsilienſis (aut vt alibi legitur Regenſis) Epiſcopus creatus fuit anno Generalatus ſui quarto. quo in munere adeò laudabiliter ſe geſsit, vt moriens ingens ſui deſiderium cunctis reliquerit. Duplex Index ab Ampliſs. P. M. Baſilio mihi è Roma tranſmiſſus, teſtatur hunc anno 1430. electum fuiſſe in Generalem, licèt quædam exemplaria impreſſa reclament; ſed hoc in Commentario diſcutiendum venit.

BARTHOLOMAEVS RAGVSIVS.

BARTHOLOMAEVS RAGVSIVS, Prouinciæ Siciliæ quondam ornamentum & decus inclytum, vir doctiſsimus

mus, & vario doctrinæ genere exornatus, plurima conſcripſit pietatis & eruditionis plena Opuſcula, quorum tamen titulos & nomina percipere non potui ab eo qui mihi illius notitiam dedit. Illud tamen non prætereundum, cum fuiſſe virum apprimè eruditum & laboris patientiſsimum, vtpote qui ſæpius & per multos annos dictæ Prouinciç Prouincialis extitit, ac etiam doctiſsimo cultiſsimoque viro M. Hieronymo Toſtato Hiſpanicæ nationis ſingulari ornamento aliquot Prouinciarum Viſitatori, Viſitationis ſocium & comitem exhibuit. Obiit autem hic clariſsimus vir, verùm ſuæ pietatis & eruditionis hæredem reliquit R. M. Pompeium Raguſium Carmelitam publicum Papienſis Academiæ quondam Profeſſorem eximium, quem adhuc ſuperſtitẽ & credo & ſpero.

BARTHOLOMEAVS SPIRITVS.

BARTHOLOMAEVS SPIRITVS, natione Burgundus, Conuentus Semorenſis, quondam totius Galliæ Vicarius Generallis, vir profectò ſingulari & exquiſita eruditione præditus, in concionando ardentiſsimus, totiusque iuxta nomen ſuum ſpiritualis. Aliquot Gallicanæ regionis fratres hac iter facientes huius doctiſs. viri nobis notitiam, dederunt, aſſerentes eundem eſſe virum optimum & doctiſs. multaque piè & eruditè ſcribere ſolitum, ſuo tempore in publicũ proferenda. Subdubito an adhuc viuat, certè cum adhuc vixiſſe anno 1588. ex eorum relatu didici. Et, niſi me mea fallit opinio, is eſt qui eruditiſsimum quoddam Epigrama conſcripſit, quod in opere cui titulus [Millcloquium Auguſtini,] typis excuſum legitur. Nepotem habet pari ſcientia præditum, & ſimiliter etiam Doctoratus laurea in alma Pariſiorum Academia redimitum; Is eſt M. Natalis Spiritus, Prouinciæ Narbonæ inſigne decus & gloria, cui (licet ignoto) precor annos Neſtoreos.

BA-

BASILIVS ANGVSSOLA.

BASILIVS ANGVSSOLA, Cremonenſis, almi Romani Collegij ſacrę Theologiæ Profeſſor egregius, decus Patriæ, & inſigne Relligionis noſtræ ornamentū, Vir in diuinis & humanis literis fęlicisſimè verſatus, Deo deuotus, & cōuerſatione venerabilis, præter doctisſimas quaſdam in rebus Theologicis, & Philoſophicis Lectiones (quarum magnam partem, tanquam theſaurum mihi, & meis ſeruo) etiam diuerſis temporibus aptisſimos Sermones, Collationes, Tracta-

tus conſcripſit, quorum omnium titulos & nomina recenſebimus, cùm Viro negotijs publicis occupatiſsimo, plus otij ſua recognoſcendi & expoliendi obtigerit. Viuit vſque hodie Romæ, iampridem primus, & indiuiduus (tanquam fidus Achates) Carmelitanæ Viſitationis Socius, ac tandem almæ Prouinciæ Romanæ Prouincialis longè digniſsimus. Tanta profectò huius Viri in me ſunt, & ſemper fuerunt merita, vt cùm impar ſim paria cum ipſo facere, in aliquod tamen gratitudinis ſymbolum, præſentem Lucubratiunculam Amplitudini eius nominis dedicare viſum fuit. Porrò de animi eius, ingenijque pręſtantia quid dicam non habeo, niſi

Quòd ſi fortè aliquis ſeſe præconia laudum
Digna viri meritis ſoluere poſſe putet,
Erret, & in medijs verſetur luce tenebris,
Cùm ſuperet Vatum Barbyta, Plectra, Lyras.
Barbyta, Plectra, Lyras Phœbi deſiderat, & qua
Carmina Pieridum concinit vſque Chorus.
Floreat & viuat, Virtus etenim ſua Vatum
Ingenio maior, maius & ingenium.

Nobiliſsimę clariſsimæq; Anguſſolanæ familię Inſignium declarationem, ſuperioribus annis dedimus, eamque non minus proprio zelo, quàm amicorum inſtinctu, hoc loco repetere voluimus, quæ eſt huiuſmodi:

Siſte



Siſte Viator iter: Veteriſq; hæc aſpice ceræ
Signa. Vides nitidam vt tranſcendant vertice Lunam
Pyramides? ſic fama Viri ſuper æthera nota eſt,
Egregium ingenium, egregio quia corpore clauſum eſt:
Vana ſuperſtitio, Phariumq; inſania regum
Iſta fuit coctlo latere vſque ad nubila ferre
Pyramides, viuo & magnas de Marmore moles,
Queis ſibi apud vanum vulgus, quoque nomina vana
Conſtruerent; tantum valuit ſitis improba famæ.
Aſt alia quæſita via fuit, atque reperta
Gloria, Fama, Decus, nullum quæ conterat æuum.
Gloria, Fama, Decus, gaudent ſudore, labore; hinc
Gloria, Fama, Decus, charum comitantur alumnum
Undiq; nec diris ſunt hæc monumenta ruinis
Subdita; at æternum gignunt poſt Fata triumphum.

BENEDICTVS XII.



BENEDICTVS DVODECIMVS, Tholoſanus, Iacobus Furnius Caturcenſis antea vocatus, Ioannis vigeſimi ſecundi ex ſorore nepos, ex ſummo Carmelitanæ religionis Theologo (quemadmodum ex Tholoſanæ Vniuerſitatis Theologorum cathalogo deprehenditur) Ciſterſienſium Monachorum ſub Regula Diui Benedicti militantium Abbas, ac tandem Sanctæ Priſcæ Cardinalis, in defuncti Ioannis XXII. locum, Pontifex Max. communi Patrũ ſuffragio conſtituitur anno Domini MCCCXXXV. Fuit autem vir omni virtute & eruditione præditus, tantæque præterea animi conſtantiæ, vt dimoueri à recto vel vi, vel precario, vel pollicitationibus nunquam potuerit. Bonos enim diligebat, & viciſsim malos & ſceleratos apertè odio habebat. Cùm Bizuntij agerē, audiui adhuc extare in Gallicanis Bibliothecis quędam inſignia & erudita volumina ſua manu ante Pontificatum conſcripta, quorum tamen titulos expiſcari non potui.

tui. Illud tamen pro comperto habeo, illi grauiſsimas quaſdam ſententias fuiſſe admodum familiares, non minus ore ab eo pro re & tempore prolatas, quàm calamo exaratas, quarū aliquot refert eruditiſsimus vir Hermanus Schedelius Germanus in ſua Chronica Temporum mundi, quæ apud nos reperitur Nurenbergæ elegantiſsimis typis & iconibus impreſſa. Sententiæ autem ſunt hæ:

Talis eſto filius, quales gnatos habere cupis. Malus mortem, bonus autem magis vitium formidat. Quæ ſcis legendo, ſerua; quæ neſcis legendo diſce. Æquè turpe eſt carere amicis, & eos ſępe mutare. & aliæ.

Moritur tandem Pontificatus ſui anno 7. menſe 3. die 17. in cuius optimi & doctiſsimi Pontificis morte (vt Bartholomæus Platina teſtatur) omnes ferè collachrimarunt. idque in pompa funeris qui aderant fletibus & gemitibus præ ſe tulere. Reliqua huius optimi viri acta referre, non eſt præſentis inſtituti; illud tantùm addā ad pontificiæ dignitatis culmen euectum, ſemel tantum ſui Pontificatus tempore ſex presbyteros Cardinales creaſſe, viros egregios, quorum nemo ſanguine aut affinitate illi iunctus erat, ſed vndequaque ad tantam dignitatem pro ſuis quiſque meritis vocatus. Baſilicę quoque Diui Petri tectum ſuo ære & iuſſu reſtitutum fuiſſe, teſtatur Epigramma ad eius ſtatuam ibidem collocatum. Epitaphium eius ſepulchro aſcriptum eſt tale:

HIC IACET BENEDICTVS QVEM
CARMELVS PROTVLIT, CASSINVS
ALVIT, VATICANVS CORONAVIT.

ANNOTATIO.

Dubitari à pleriſq; ſolet, num hic Benedictinis potiùs, quàm Carmelitis adnumerandus ſit. Quemadmodum enim eundem Trithemius ſuis adnumerat, ita nec Carmelitam fuiſſe negat. Miror tamen nonnullis mirum, atque adeò (ſi dijs placet) abſurdum videri, ex Carmelita, Benedictinę aut Bernardinę fa-

milię

miliç Abbatem fieri: quum potius mirandum ſit, nonnullos ex piſcatoribus & ouium paſtoribus ad Pontificię dignitatis culmen euaſiſſe. Cæterum ex Carmelitis, Benedictini Ordinis Abbates creatos fuiſſe, ut ſępe audiui & legi, ita ante aliquot annos hiſce oculis vidi. Reuerendiſsimus enim D. Martinus Cuperus Mechlinienſis, ex Carmelitarum inferioris Alemaniç priore Prouinciali, Diui Criſpini celeberrimi Benedictinorum monaſterij inter Valencenas & Montes Hannoniç Abbas, ex Abbate Epiſcopus Calcedonenſis creatus fuit. Antiquiſsimç quoque picturę (quarum una extat Bruxellę, & alia Veronę) à ducentis & eo amplius annis, alięq; ſculpturę ęneę diuerſis in locis, prę ſertim Pariſiis, Venetijs, ac tandem Romę excuſę, idem teſtantur; vbi non ſolùm hic Benedictus, verùm & B. Dionyſius Papa (de quo infrà) tanquam Carmelitanę vineę fructus & palmites cernuntur. Quod autem ad Benedicti noſtri Epitaphium attinet; illud excerpſit Claudius de la Ville natione Gallus, medicinę Doctor celeberrimus, libro Heroicorum Epithaphiorum ſecundo, Epith. 4. Quod verò ibi dicat, Vaticanus coronauit, *non ſic intelligendum venit, vt quis credat eum Romę in Vaticano, Pontificio diademate inſignitum fuiſſe, ſed quòd Pontificalis dignitas à Diuo Petro, qui primus in Vaticano Pontificatū geſſit, defluxerit. Benedictus enim, non in Italia, ſed in Gallia, cum aliquot prędeceſſoribus, & ſucceſsoribus Pontificatum geſſit. Cur autem hic Pontifex omnium primus (ni fallor) motu*

pro-

propriò cauerit, ne quis Carmelitarum ſeſe ad Benedictinorum Ordinem conferret, abſque expreſſa ſummi Pontificis licentia, alibi, loco magis oportuno, à nobis cribrabitur.

BERNARDINVS LANDVCCIVS.



BERNARDINVS LANDVCCIVS, Senenſis, totius Ordinis noſtri Generalis, Theologus inſignis, & Philoſophus

ore

phus egregius, vtpote qui in vtroque genere ſcientiæ claruit effulſit, Complura cõſcripſiſſe pro certo habeo, pauca tamen ex multis impreſsioni data vidimus, nimirum De ſenſu compoſito, libellum magnitudine quidem exiguum, eruditione tamen grandem & eximium. Reliqua quæ ſcripſit ſcire non potui. Annus verò quo ad Generalatus culmen euectus fuit, erat 1517. tempore Leonis X. Senis habitis comitiis Generalibus, officio cedente, morteque ſublato Reuerendiſs. P. M. Bapt. Mantuano. Cęterum poſtquam Bernardinus hic annis quinque, & menſibus ſex Generalatus officium laudabiliter ſatis & dignè adminiſtraſſet, magno Carmelitici gregis luctu, bonus Paſtor Romæ moritur, & in Conuentu Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ veteris ſepelitur, die 28. Martij anno M. D. XXVII. vt annotatum legitur in Necrologio Carm. Florent. Huic viro in Commentario noſtro Carmelitico, tale Epithaphium collocauimus:

Gloria qui quondam fuerat non parua virentis
Carmeli, exiguo clauditur hoc tumulo.

BERNARDVS OLENSIS.

BERNARDVS OLENSIS, Conuentus Minoricenſis, Prouincię Cataloniæ in Hiſpania, ſacri Carmelitani gregis Generalis & cuſtos ſolertiſsimus, & in diuinis Scripturis egregiè doctus, nullum abſque lectione & ſcriptione ſacrorum librorum tempus abire permiſit. Ea verò quæ ſcripſit me latent; Dolendum profectò huius Generalatus tempore ingens in Eccleſia Dei ſchiſma incidiſſe, quod & ipſum caput & reliqua mẽbra nõ mediocriter turbauit, & ob id (vt facilè credi poteſt) ea quæ magno ſudore & indefatigabili ſtudio vir ille conſcripſerat, aut interierunt, aut quorundam incuria adhuc in tenebris deliteſcunt. Porrò quod ad Schiſmatis negotium attinet, illud latè pertractant Scriptores illius ætatis; quin & nos ſuo loco nonnulla diximus. Mortuo enim Grego-

rio vndecimo (qui clanculum è Gallia profugiens Romam reuerſus eſt) maxima diſſentio orta eſt de electione Pontificis, cùm hi Gallicæ nationis, alij Italicæ aliquem in Pontificem creari vi & prece vellent. Tandem Bartholomæum Barenſem Archiepiſcopum, patria Neapolitanum (aut vt alibi legitur Piſanum) extra collegium Cardinalium Pontificem crearunt quamuis abſentem, Vrbanumque ſextum appellarunt. Ceterum Gallici Cardinales (qui numero erant 18. & Italici duntaxat 4.) cauſati hominem vi creatum, & vi coronatum, Fundis Gebennenſem Cardinalem, antea in Italia Legatum, Pontificem deligunt, vocantque Clementem ſeptimum. Hinc magna diſcordia in Eccleſia Dei orta eſt, cùm pars Chriſtianorum Regum & Principum Vrbano, pars Clementi faueret. Italia enim, Germania & Pannonia Vrbano, ceterum Gallia, Hiſpania, Cathalonia, Britannia, Clementi adhæſit: Sicque factum eſt, vt cùm hic Bernardus noſter magis declinare videretur in partes Clementis, ab Vrbano priuatus ſit regimine illarum prouinciarum quæ ſibi adhærebant, ſubrogato eidem Michaele de Bononia. Geſſit tamen perpetuò vigilem curam Bernardus Prouinciarum Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæ & aliarum. Verùm poſt aliquot annos officio cedens, mortem obiit: annus tamen & locus obitus illius me latent.

BERTHOLDVS A MALEFAIDA.

BERTHOLDVS A MALEFAIDA, primus Occidentalium Generalis, nobilis Solomonis (non Solonis, vt corruptè alibi legitur) Regis Hungariæ proſapia oriundus, à teneris vnguiculis CHRISTI cultui dedicatus & deditus, primos florentis ætatis annos bellis & armis exercuit, fuitque in illa ſacra expeditione pro recuperanda Terra Sancta, quam fœlici auſpicio perfecit Godefridus de Buillion Lotharingiæ Dux inclytus, primuſque Hieroſolymorum Rex. Vouerat autem hic noſter Bertholdus, ſi eum quem deſiderabat habuiſſet rei

exitum, ſeſe perpetuò cum ſanctis Patribus qui in Carmelo propheticam vitam ducebant, prophetice victurum. Voti igitur compos effectus, quæ Antiochię vouerat, reddidit, Carmelicolisq; non ſolùm iunctus, verùm & iiſdem ab Aymerico Antiocheno Patriarcha (cui & ſanguine iunctus fuiſſe creditur) pro eo tèmpore Legato à latere Romani Pontif. in Terra Sancta, in Archiphilacem (ſic enim Primates quos modo Generales dicimus, vocabantur) datus fuit. quo in munere conſtitutus, omne tempus ab externis occupationibus vacuum, in euoluendis ſacrorum voluminum libris impendit, multaque tàm verbo quàm exemplo docuit, ſuisque ſcriptis & vocibus optimum viuendi modum reliquit. Cumq; ſuis prçfuiſſet annis plus minus XXV. (non XLV. vt malè legitur alibi) terris relictis, ad cęlum migrauit, anno MCXLVI. (non MCLXVI.) quarto Kalendas Aprilis, anno ſecundo Pontificatus Eugenij tertij Pont. Max.

ANNOTATIO.

In eorum, quæ diximus, confirmationem, non abſre fuerit aſcribere verba doctiſſimi atque pientiſſimi Hiſtoriographi, Carthuſiani Ordinis Scriptoris, qui in ſuo Faſciculo temporum, noſtri Bertholdi ſic meminit: Sanctus, inquit, Bertholdus, Carmeli montis Heremicolis ab Aymerico Antiocheno Patriarcha in Priorem aſſignatus, fama celebriori multis innoteſcit. Hic inter cetera præclara ſuæ ſanctitatis indicia, animas quamplurium Fratrum, quos Saracenorum abſumpſit gladius, cum corona martyrij ab Angelis in cœlum deferri vidit. Hæc ille. Quoniam verò ſuperius diximus, Bertholdum hunc primum Generalem Carmelitarum fuiſſe, occurrendum cenſeo quorundam Carmelita-

meli tanæ Religionis antiquitatis æmulis, qui tanquam veterum hiſtoriarum ignari, non verentur Carmelitarum initium ad hæc tempora reducere, ſicq; Carmelitas de ſua antiquitate meritò, & piè gloriantes, vanitatis arguere, qui genus ſuum & originem ad Heliam & Heliſeum referunt. Qui eius ſunt opinionis, neſcio ſatiusne eſſet tanquam hiſtoriarum ignaros, negligere, an verò tanquam veritatem impugnantes, rationibus & veterũ ſcriptis confutare. Legat, qui velit, tum veterum, tum neotericorum hiſtorias, et luce meridiana clarius inueniet, Carmelitas non ſuæ Religionis initiũ tunc habuiſſe; ſed ad Occidentalium Monachorum (quorum D. Benedictus Abbas & Inſtitutor fuit) normam & modum viuere coactos fuiſſe, vtpotè (vt eleganter Venetorum Hiſtoriographus Mar. Ant. Sabellicus lib. 5. & Virgilius Pol. Vrbinas lib. 3. cap. 7. referunt) qui antea ſparſim montem Carmelum inhabitabant: factum vt deinceps more Latinorum Monachorum collegialiter ſimulq; degerent, relictoq; Græco, Syriacoue ſupremæ inter eos dignitatis nomine, in poſterum Carmelitarum Primas, Latino vocabulo, Latina Eccleſia ſic diſponente Prior Generalis *appellaretur. & prorſus mirabili modo accidit, vt Occidentalibus Monachis, Orientale, & Orientalibus (quales Carmelitę) Occidentale nomen obtigerit. Benedictinę enim Religionis (quę in Occidente ortum habet) Primates, vocantur Abbates, quod prorſus Grecum, ſeù Orientale vocabulum eſt. Sed de his hactenus.*

BERTHOLDVS LOMBARDVS.

BERTHOLDVS LOMBARDVS, ſecundus ſui nominis,quartus verò in ordine Occidentalium Carmelitarum Generalis, vir eximiæ ſanctitatis & eruditionis, præclara ſequacibus ſuę pietatis exempla præbuit,diuinę ſcripturæ ſtudioſiſsimus, morumque honeſtate conſpicuus. Huius optimi viri tempore contigit, vt magna pars Carmelitanæ Religionis Profeſſorum, denuò ob Chriſtianorum Principum ſocordiam & perpetuas rixas Terra Sancta in manus Infidelium deuoluta, locum mellifluum relinquere cogeretur, ſeſeque ex Oriente in Occidentem transferre; quod quam acerbum intueri fuerit huic noſtro Bertholdo,facilè perpendere poterit, quilibet, cui ſuus Ordo cordi eſt. Verùm enimuerò non minor dolendi,quàm gaudendi anſa offerebatur, etenim Ordo noſter in Oriente ortus, tunc temporis magna ex parte in Oriente occidit, & in Occidente ortus eſt. Dolebat itaque ob occaſum in Oriente, gaudebat autem ob ortum in Occidente. Poteratque dicere: Patres noſtri in hoc monte Carmeli adorauerunt:ſed venit hora & nunc eſt,quando veri Carmelitici adoratores adorabunt Patrem cœleſtem vbiq; locorum. Itaq; nonnulli Europei fratres primùm in Cyprum ac Siciliam venientes, ibidem loca ſuæ profeſsioni congrua adepti, demum per totam Europam Carmeliticæ vitis germina tranſplantarunt. Moritur tandem Bertholdus plenus virtutibus, Deo gratus & hominibus.

ANNOTATIO.

Egregiam huic rei conuenientem ſententiam deuotiſſimi Scriptoris Carthuſiani infrà inuenies in Annotatione quam Reuerendiſs. M. Nicolao Gallico appoſuimus, ea propter opus non eſt eam huc adducere. De fratrum verò Carmelitarum in Europam tranſmigratione, atque eorundem in Cyprum aduentu, eleganter & eruditè (vt omnia) canit Bapt. noſter Mantua-

tuanus, lib. 9. Faſtorum, ad diem 8. menſis Septembris, hiſce verbis:

Namq; ea gens ſimul ac ſanctæ confinia Terræ
Exiuit, Cyprios primùm ſe extendit in agros.
Sic noſtri Annales perhibent, ſic multa ſenili
Iam carie corroſa docent noſtratia templa,
Quæ ſuperãt, et adhuc illis celebrãtur ab oris. &c.

BLASIVS ANDERNARII.

BLASIVS ANDERNARII Gallus, vir in Scripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, & ſęcularium literarum non ignarus, ſcripſit nonnulla præclara volumina, quibus acrimoniam ingenij ſui etiã poſteris notificauit, è quibus extat opus celebre ſuper Sententias lib. 4. Quæſtiones quoque, & Collationes variæ in ſcholis diſputatę lib. 1. Cętera verò quæ compoſuit, ad notitiam noſtram minimè venerunt. Trith.

S. BROCARDVS Hieroſolymitanus.

BROCARDVS HIEROSOLYMITANVS, vir inſignis, ac vitæ ſanctimonia conſpicuus, vario doctrinæ genere excultus, plurimum in conſeruando gregem ſibi commiſſum verbo & ſcriptis laborauit, nihilque prætermiſit quod ad bonam conuerſationem ac fidelium ædificationem pertineret. Et quoniam videbat diuina prouidentia Carmelitas hincinde per Aſiam, Africam & Europam diſperſos, multos ipſe hortationibus pijs ad Propheticæ vitæ continuationem ſedulò monuit. quoque Romano Pontifici, ac cæteris Europæ Prælatis Propheticus ille cetus gratior foret, petijt ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano, vt pro iure ſuo ordinario, Carmelitis, more Europæ Monachorum viuere cupientibus, Regulam, ac quandam viuendi normam tradere dignaretur. Albertus, pijs pij viri votis obtemperare cupiẽs, Carmelitis (qui in lege veteri ſecundum Moſis pręſcripta, atque hactenus in

nouo Teſtamento ſecundum Euangelica dogmata vixerant) ad inſtar Monachorum Occidentalium Regulam, vitæque dirigendæ methodum tradidit, quàm in hunc vſque diem quilibet eorum (loci & temporis tamen habita ratione) obſeruare nititur, paucis admodum Romanorum Pontificum authoritate immutatis & mitigatis. Cæterum Brocardus, mortui ſuſcitatione, alijsque miraculis coruſcus, depoſita carnis ſarcina, ad verum Carmeli montem, qui CHRISTVS eſt migrauit, ſecunda die Septembris, anno 1197. circa initium Pontificatus Innocentij tertij.

ANNOTATIO.

Ea quæ in præfati viri Elogio dicta ſunt de Regula Carmelitis tradita, confirmantur omnium penè Scriptorum authoritate, nos tamen Hiſtoricorum turba omiſſa, vnius duntaxat Scriptoris Carthuſiani teſtimonio contenti erimus, cuius verba ſunt hæc: Albertus, inquit, Hieroſolymitanus Patriarcha, Fratrum Heremitarum Sanctę Dei Matris in Carmelo Monaſterium in melius erigit, ſanctóq; loci illius tunc Priori Brocardo, mortui ſuſcitatione, quampluribusq; miraculis coruſco, & ſuis Confratribus Regulam iure ſuo ordinario tradidit, quam poſt Lateranenſe Concilium, Honorius Papa tertius, ac demum ſucceſſor eius, Gregorius nonus tutiſſimè confirmauerunt. hæc ille, citatq; ſecum authorem alium Vincentium in Speculo. Porrò Regulæ Carmelitis traditæ initium eſt tale: Albertus Dei gratia Hieroſolymitanę Eccleſię vocatus Patriarcha, dilectis in Chriſto filijs Brocardo, & cæteris Heremitis qui ſub eius obe-

dientia.

dientiæ iuxta fontem Eliæ in Monte Carmeli morantur, ſalutem in Domino, & Sancti Spiritus benedictionem. Multifariè, multiſq; modis; &c. Data fuit Aconi Idibus Ianuarij, 1171. annis plus minus quadraginta quinque ante Dominicanæ et Franciſcanæ Religionis approbationem, quæ incidit poſt Concilium Lateranen. nimirum circa annum Domini 1216. ad quæ facit graue illud, atque adeò Sacroſanctum teſtimonium quod de Carmelitis & Auguſtinianis lib. ſexto Decretalium, Can. 13. De Religioſis domibus extat hiſce verbis: Heremitarum autem ſancti Auguſtini, & Carmelitarum Ordines, qui dictum, hoc eſt Lateranenſe, Concilium præceſſerunt, in ſolido ſtatu volumus permanere. hęc ibi.

Quibus verbis (inquit Bapt. Mant. in Apologia pro Carmelitis & noſtra antiquitas, & approbatio ipſa ſatis conſtat. Sed ſunt nonnulli, qui Soluto, *non* Solido, *legendum putent. Verùm gloſſema id parui putamus, cùm habeamus firmiorem Apoſtolicum ſermonem, cui magis inhærere nos oportet. Nam Ioannes XXII. in ſolemni Priuilegio nobis conceſſo, locum illum Decretalis exponit, dicens hoc pacto:* Sacer Ordo veſter in agro Domini diuina diſpoſitione plantatus, & titulo Beatiſsimæ Dei genitricis Mariæ ſpecialiter inſignitus, quem in ſtatu ſolido, ſtabili & firmo volumus permanere. *&c. Ecce quàm ſapienter iſte ſummus Eccleſię pater duobus adiectis nominibus, id eſt,* Stabili *&* Firmo, *fecit clarum, quod ſimilitudo dictionum obſcurarat. hęc ille.*

CHRI-

fici Sixto quarto ex Seraphico Franciſcanæ profeſsionis Ordine, non ſolum notus & familiaris, verùm & vehementer gratus & acceptus, vtpote qui eius gratia, Carmelitis ingentia ex Apoſtolica benignitate conceſsit, vt videre licet in diuerſis priuilegiorum Diplomatis tàm typis euulgatis, quàm in Pontificum & Ordinis noſtri archiuis reſeruatis. Tandem conſcriptis dum per otium licuit, elegantiſsimis libris, Romæ in Conuentu ſancti Martini in montibus, ad montem qui Chriſtus eſt Chriſtophorus commigrauit die 16. Maij, anno 1481. relicto poſt ſe Vicario Generali M. Gulielmo Crich Prouinciæ Turoniæ, qui tamen eodem anno eiuſdem cuius Vicesgerebat, ſemitas ingreſſus eſt. Incidit autem electio Chriſtophori in Generalem in annum 1472. in Conuentu Aſtenſi, prouinciæ Lombardiæ.

CHRISTOPHORVS *Silueſtranus.*

CHRISTOPHORVS SYLVESTRANVS Brenzonus Veronenſis, Sacræ Theologiæ Profeſſor eximius, ſacrarum concionum declamator facundiſsimus, ſuperioribus annis inſigne opus typis edidit ſuper tertium lib. Sentent. illudque Sixto quinto Romanorum Pontifici dedicauit; fertur & alia complura eruditè ſcripſiſſe, nimirum ſuper primum Senten. Sermones denique varios, & Lectiones ſuper Epiſtolas S. Pauli; Viuit adhuc in Italia.

CYRILLVS ALEXANDRINVS.

CYRILLVS Ordinis Carmelitici monachus, poſtea Epiſcopus Alexandrinus, natione Græcus, ex Conſtantinopoli oriundus: Vir Sanctus atq; doctiſsimus, Philoſophus clarus & Rhetor inſuperabilis, infinitis miraculis coruſcauit, & Prophetiæ ſpiritu illuſtratus fuit. Hic tempore Theodoſij Imperatoris & Cœleſtini Papæ primi contra Neſtorium

G multa

multa compoſuit, eumque in Concilio Epheſino præſidens confutauit. Scripſit Græco ſermone multa præclara volumina, de quibus apud Latinos pauca habentur. Hic primus permiſcuit Philoſophiã Ariſtotelicã Scripturis ſanctis, & omnes errores hæreticorum argumentis fortiſſimis eliſit, ſicut in geſtis tertiæ Synodi Epheſinæ inuenitur, Scripſit autẽ inter alia.

PRIMVS TOMVS.

In Geneſim ad literam & myſticè, lib. 11.
In Leuiticum, lib. 16.
In Eſaiam prophetam commentariorum, lib. 5.
In Euangelium Ioannis, lib. 8.
Dicta veteris Teſtamenti, & Sacræ Scripturæ interpretata anagogicè.
Lib. aduerſus Iudæos cum elegantiſſ. quæſt.
Breues Anagogas de ijs qui fulſerunt ante legem.

SECVNDVS TOMVS.

Epiſtolas 39.
Homilias decem.
Apologiam ad Imperatorem Theodoſium.
Declarationem duodecim capitum, alias Anathematiſmorum.
Librum Apologeticum ad defenſionem eorundem duodecim capitum, contra Orientales.
Alium librum ad Euoptium, pro defenſione eorundem duodecim capitum, contra reprehenſiones Theodoreti Epiſcopi Cyri.
Expoſitionem Symboli Niceni.
Scolia de incarnatione Vnigeniti.
Synodales epiſtolas duodecim.
Dogmata Neſtorij à Cyrillo primùm impugnata: deinde ab Epheſina Synodo condemnata.
Opus inſigne quod Theſaurus inſcribitur, de conſubſtantialitate Filij & Spiritus Sancti cum Deo Patre, aduerſus hæreticos.

Dia-

Dialogorum cum Hermia de Trinitate lib. 7. cum appendice argumentorum, quòd Spiritus Sanctus eſt Deus.
Quòd conſubſtantialis & coeternus ſit Deo, & Patri Filius. lib. 1.
Quòd coeternus Deo Patri, & ex ipſo ſecundum naturam genitus, ſit Filius. lib. 2.
Quòd Deus verus ſit Filius, ſicut & Pater. lib. 3.
Quòd non creatura, neque factura ſit filius. lib. 4.
Quòd Deitatis proprietates, ac gloria naturaliter in filio ſint, ſicut & in Patre. lib. 5.
Quòd humanitates proprietatis, & quæ non valde diuinè dicta de Filio conueniant magis diſpenſationi cum carne, & non naturæ Verbi, ſecũdum quod intelligitur, & eſt Deus. lib. 6.
De Spiritu Sancto, quòd & Deus, & ex Deo ſit, ſecundum naturam. lib. 7.
De Adoratione, & cultu in ſpiritu & veritate. lib. 1.
* Contra Iulianum Apoſtatam pro Religione Chriſtiana. lib. 10.
De recta fide in Chriſtum, ad Theodoſiũ, & ad Reginas. lib. 3.
Hæc omnia apud Græcos vidimus, & partim legimus, ſed nuſquam apud Latinos. Claruit ſub Theodoſio Imperatore magno, & Cœleſtino Papa primo, Anno Domini quadringenteſimo trigeſimo. Trith.

ANNOTATIO.

Quicquid ad celeberrimi Scriptoris vitam attinet, de verbo ad verbum ex Trithemio deſumptum eſt. Indicem verò Operum deſcripſimus ex nobiliſſimo illo Diui noſtri Cyrilli Operum uolumine, quod elegantiſſimis caracteribus anno 1573. è Pariſiorum Lutetia Orbi exhibuit honeſtus ciuis Michael Sonnius Typographus ſolertiſſimus. Opera verò ea quæ in

preſenti indice notata ſeu ſignata uides hoc ſigno * *ſunt ea quę Trithemius dicit ſe uidiſſe & legiſſe apud Grecos ſed nuſquam apud Latinos. nam ad ſua uſque tempora Grecis potius quam Latinis autor ille notus & familiaris erat, ſed poſtmodum Gentiani Herueti, Iudoci Clichtouei, & aliorum Catholicorum inſignium virorum opera, & diligentia prefatus autor Latinus fieri cœpit. Meminit huius Cyrilli idem Trithemius in opere maiori de Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

CYRILLVS PRESBYTER.

CYRILLVS alius, presbyter montis Carmeli, tertius in ordine Prior Generalis, vir doctus & deuotus, ac ſpiritu prophetię illuſtratus, ſcripſit nonnulla ingenij ſui opuſcula de quibus feruntur.

Epiſtolæ ad diuerſos plures.

Quædam Reuelationes ad Abbatem Iochim. Angelica quoque tabula, quam de manibus Angeli dicitur recepiſſe. Alia nonnulla ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit temporibus Henrici Imperatoris ſexti, & Innocentij Papę tertij, anno Domini milleſimo ducenteſimo. Errant qui hos duos Cyrillos vnum eſſe putant, cùm nec tempus in eos conſentiat, nec ordo geſtorum. Primum enim ſub Theodoſio in Epheſino Concilio claruiſſe certum eſt, & iſtum ſub Henrico ſexto, vt diximus, Hæc Trith.

ANNOTATIO.

Complures eruditi & pij Hiſtoriarum ſcriptores huius noſtri Cyrilli tanquam viri ſanctiſſimi in ſuis lucubrationibus mentionem honorificam faciunt, preſer-

tim

tim Anton. Sabell. lib. 5. Iacobus Philippi Ord. Erem. S. Auguſt. & Hermanus Schedelius Germanus hunc in modum: Sanctus Cyrillus Grecus melliflui Carmeli Prior doctorq; tum vite ſanctitate, tum prophetię ſpiritu conſpicuus multa poſteris ſeculis pro futura conſcripſit, & copioſis miraculis Deo procurat gloriam mundoq; ſtuporem. Hęc ille. Cęterum quod ad abbatem Ioachimum attinet cuius Trithemius meminit, obſeruandum eſt eum fuiſſe virum apprimè eruditum Vrbano 3. Pont. & Guilielmo regi ſuiſq; Calabris omnibus gratiſſimum. Spiritu prophetię repletus futura quaſi preſentia enunciabat. In ſacris literis Commentaria edidit, preſertim ſuper Apocalypſim vbi multa potiſſimum de Ordinibus Mendicantium (qui ſunt Carmelitę, Franciſcani, Auguſtiniani, & Dominicani) predixit. Omnia tamen quę ſcripſit iudicio Romani Pont. ſubmiſit. Huic igitur Abbati Cyrillus noſter Angelicum Oraculum, cuius initium eſt: Tempore annorum Chriſti, &c. tanquam ad virum eruditum tranſmiſit. Claruit autem ſub Philippo, & Othone Imperatorib. anno 1200. Eius autem feſtiuitas à Carmelitis (ſede Apoſtolica ſic iubente) celebratur ſexta die menſis Martij. De duobus Cyrillis fusè diſſeruimus in Commentario noſtro Carmelitico. Vitam huius & alterius elegantiſſimis atque doctiſſ. verſibus decantauit Reuerendiſſimus Generalis Carmelitarum Baptiſta Mantuanus lib. 3. Faſtorum.

DE.

DESIDERIVS BVFFET.

DESIDERIVS BVFFET, Diuionenſis in Burgundia, Vicarius Generalis Galliæ, inclitę Pariſienſis Academiæ Doctor celeberrimus, vir ad pręclara quæque virtutis opera genitus, in concionibus habendis ſupra modum excellens & vehemens, in diſputationis certamine nulli ſecundus, eloquio clarus, & conuerſatione venerabilis, die noctuque libris affixus, multa egregia & omni laude digniſſima volumina conſcribens, cunctis Verbi Dei præconibus & ſtudioſis indefatigabili ſtudio laborat. fama eſt eundem adhuc ſupereſſe, ac ſeptuagenario maiorem, nullum laborem detrectare aut recuſare, ſed talentum à Deo ſibi creditum pia vſura amplificatum reddere.

DIDACVS DE LEON.

DIDACVS DE LEON, Hiſpanus, Epiſcopus Columbrienſis, vir inſigniter eruditus, & vario ſcientiarum genere egregiè ornatus, in concionibus habendis ad populum excellentis ingenij & facundiæ, conuerſatione amabilis & affabilis, plurimas in ſacris literis Lucubrationes edidiſſe fertur, quarum tamen titulos & nomina cùm ignorem, ſufficiat hoc loco nomen ſuum ab obliuionis iniuria à nobis vindicatum eſſe, donec quis me certiorem faciat. Quòd verò eximiæ eruditionis extiterit, argumento eſſe poteſt, quòd eū Pius IIII. Pontifex Max. dignum exiſtimauerit, qui in Concilio Tridentino cum aliis Epiſcopis & ipſe ſententiam ſuam diceret, multasque, vt audio, coram ſacroſancto Senatu orationes, & Diſputationes haberet. Dubius ſum an adhuc viuus inter viuos degat. Extat nomen illius in actis dicti Concilij Trid.

DIONISIVS GASTELIER.

DIONISIVS GASTELIER, Meldunenſis, in alma facultate Pariſina Doctor celeberrimus, natione Gallus, quatuor

tuor linguarum, nimirum Latinę, Græcę, Hebraicæ ac Chaldaicæ peritiſsimus, Concionator egregius, eloquio facundus & vario ſcientiarum genere ornatus, quotidie in legendo, ſcribendo verſatur, multoſque eruditionis & pietatis libros componit, quos ſuo tempore in legentium vſum & vtilitatem Orbi exhibebit, nam adhuc non minus ſibi quam ſuis viuit in Gallia.

DIONISIVS PAPA.



DIONISIVS PAPA, cuius originem, vt inquit Platina, Damaſus inuenire non potuit, ex patre monacho Syriæ (vt ſcribit Iſidorus cognomento Iunior, cuius opus in membranis deſcriptum extat in Bibliotheca Nouellana Florent. ad le-

uam

nam ingredientis) natus, omnium ex monachis primus Pontifex creatus eſt anno 267. Conſtitutiones conſcripſit quibus cauetur vt presbyteris in Vrbe Roma Eccleſię, & cimiteria diſtribuerentur; pluraque alia, quæ ab ipſo Platina in eius vita leguntur. Pontificatum geſsit annis ſex. Obiit decrepitus, ſepultus in Cimiterio Calixti, vbi & Ordinationes duas habuit.

ANNOTATIO.

Extat & hic Dioniſius, vt ſuperius diximus, in antiquiſsimis ęneis laminis inſculptus, tanquam Carmelitanę vitis palmes. & illius ſæpius mentionem ſub Carmelitani nominis appellatione facit doctiſsimus vir M. Simon Cęlius Luſitanus in opere illo Carmelitico impreſſo, quod nuper R. P. M. Nicolao Aurifico è Roma tranſmiſſum vidimus. Neq; cuiquã abſurdum videri debet, ſi omne Monachorum genus ab ipſa Syria, in qua eſt Carmelus, dicamus originem traxiſſe. Grauiter enim errant, qui Monachorum nomen ſeu appellationem ab ipſius Baſilij in Oriente, & Benedicti in Occidente temporibus in vſu loquendi fuiſſe dicunt. Nam omnium ferè eorum, qui Vitas Pontificum conſcripſerunt, teſtimonio, hunc primum ex Monachis creatum eſſe Põt. ducentis annis ante Baſilium (qui Benedictum longè ante præceſſit) comprobatur. ſit mentio illius in Pontificali cap. 26. Eius depoſitio recolitur die 26. Decembris in Martyrol. Vſuardi hiſce verbis: Romæ, via Appia, depoſitio Sancti Dioniſij Papę, qui fidei documentis, ſub Claudio Imperatore clarus effulſit &c. Non eſt hic dicendus primus

mus

mus ſui nominis, cùm nullus adhuc poſt ipſum tali nomine appellatus ſit. Legatur eruditiſsimus vir D. Ioannes Molanus, Louanienſium Theologorum huius ętatis inſigne ornamentum, in Annotationibus ad Martyrologium Vſuardi; extat hoc opus egregium in prę clara Bibliotheca Marciana Florentię, ad leuam ingredientis, vbi non ſolùm ad 17. Iunij, Eliam Thesbithen Domini Prophetam, & Carmelitanæ Religionis Patriarcham (ſic enim legitur ibi) ſed & prefatos Bertholdum, Cyrillum, Brocardum & alios nonnullos ſacri Ordinis noſtri alumnos ſanctimos fuiſſe, teſtatum relinqit.

DIONISIVS PERONET.

Dionisivs Peronet, Meldunenſis, Pariſienſis Doctor egregius, Theologus inſuperabilis, Philoſophus clariſsimus, & Orator facundiſsimus, metro exercitatus & proſa, in docendo clarus, in diſputando acutus, colloquio comis & placidus, in ſtudiis aſsiduus; Multa in dies cudit eruditiſſima volumina, non ſolùm ſuæ Galliæ, verùm & exteris profutura nationibus, inter q̃ non poſtremas obtinet inſigne quoddam Quadrageſimale typis euulgatam, opus varium, politum, nec vnquam ſatis laudandum. Cætera quæ ſcribit aut hactenus ſcripſit ignoro; gratiſsimum tamen foret cognoſcere: Adhuc enim dum hæc ſcribimus, viuens inter viuentes vitam agere creditur.

EADMVNDVS MATTEROT.

EADMVNDVS MATTEROT, Burgundus, Theologus Pariſienſis inſignis, virtute & eruditione clarus, eloquio diſertus, conuerſatione per quam humanus, quondam Prouinciç Narbonç Prouincialis, omne tēpus in piè exhortando verbo & opere conſumit; In concionibus habendis acer & vehemens, in diuinorum voluminum lectione aſsiduus, Porrò qui hominem nouerunt, pro certo aſſerunt illum eximiæ pietatis & eruditionis Tractatus conſcripſiſſe, quorum vtinam aliquando participes fieri poſſemus. Viuit adhuc Prior in Conuentu Cabiloneñſi, prouinciæ Narbonæ, ac varia in dies conſcribit.

EBERHARDVS Billicus.

EBERHARDVS BILLICVS, Colonienſis, ſacræ Theologiæ Doctor inſignis Prouinçiæ noſtræ Germaniæ inferioris Prior Prouincialis, ac tandem dictæ ſedis Præſulis in Spiritualibus deſignatus Epiſcopus Suffraganeus (prius enim vita exceſsit quàm ſolemnia coronationis implerentur) vir ſuo ſæculo celeberrimus, omnem ætatem ferè in legendo & ſcribendo triuit. Inter plurima verò quæ vir ille doctiſsimus ſæculo futuro profutura ſcripſit, egregium opus videre contigit cui titulus eſt huiuſmodi: Iudícij Vniuerſitatis & Cleri Colonienſis aduerſus calumnias Philippi Melanchthonis, Martini Buceri, Oddendorpij, & eorum aſſeclarum, Defenſio, cum diligenti explicatione materiarum. Extat liber hic excuſus variis in locis præſertim Coloniæ, ac tandem Pariſiis anno Domini 1545. Plura alia ſcripſit partim typis excuſa partim ſcripta quç etiamnum Coloniæ aſſeruantur. Annus obitus illius (niſi me fallit memoria) fuit 1562. aut circa. ſepultus iacet Coloniæ in ſuo Conuentu ante ſummum altare, inſigni tectus ſarcophago, & in vna parte Chori non minus docto quàm artificioſo Epitaphio decoratus.

ANNOTATIO.

Meminerunt huius viri doctiſſimi, moderni Scriptores ferè omnes qui Acta Concilij Tridentini (cui et ipſe interfuit, ac cominus verbis, cum ipſo Luthero pſeudo Eremitano, & Martino Bucero pſeudo Dominicano ac alijs perfidiſſimis Eccleſiæ hoſtibus manus conſeruit) conſcripſere. preſertim R. P. Laurentius Surius Cartuſianus, Cochlęus canonicus; quin et inter egregios Theologos hic noſter Billicus numeratur in geſtis Concilij Tridentini. Eius verò Vitam & alia complura Opera ab eodē elaborata recenſet doctiſſimus D. Cornelius Callidius Goudanus in libro de Scriptorib. Illuſtr. Germa. ab anno 1500. vſque ad ſua tempora. quoniam autem hic libellus impręſentiarum mihi non eſt ad manum, ſuper ſędendum cenſeo.

ELIAS CARNIVALIVS.

ELIAS CARNIVALIVS Conuentus Cremonenſis ſingularis ſplendor & gloria, totiusque Carmelitanæ Religionis egregium decus, Sacræ Theologiæ Profeſſor eximius, ac Sacroſanctæ Prouinciæ Syriæ (quam meritò Terram Sanctam, in qua Carmelus eſt, vocamus) Prior Prouincialis digniſsimus: vir in temporalibus ac ſpiritualibus induſtrius ac ingenioſus. Eſt impræſentiarum Reuerendiſsimo Carmelitanę Religionis Primati ſacræ Viſitationis Socius, & à ſecretis; quorum è Sicilię, reliquiſque maritimarum regionum Prouincijs aduentus & reditus auidiſſimè expectatur.

FRANCISCVS MARTINI.

FRANCISCVS MARTINI, natione Catalanus, Conuentus Barchinonenſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, in declamandis Sermonibus ad populum excellentis ingenii fuit. Scripſiſſe autem nonnulla opuſcula dicitur, in quibus profunda ſcientia eius demonſtratur, è quibus extant ſubiecta:

De Conceptione Beatæ MARIAE ſemper Virginis, lib. 1.
Compendium in honorem Ordinis ſui, lib. 7. & quædam alia. Claruit in Conuentu prædicto anno Dom. 1390. Trith.

ANNOTATIO.

Huius viri tanquam de Religione Chriſtiana optimè meriti, inter alios meminerunt R.P. Iacobus Philippi Ord. Herem. S. Auguſt. & Marcus Anton. Sabell. lib. 5. & Cartuſianus in faſcic. Tempo. Franciſcus Martini, inquit, Theologorum ornamentum, ſingularisq; ſui temporis lucerna, in honorem pregloriosæ ſui Carmelitici Ordinis Patronę librum de ſancta Conceptione immaculatę DEI genitricis MARIAE conſcribit, cunctis Virginis Zelatoribus gratiſsimum, &c.

FRANCISCVS DE Zambertis.

FRANCISCVS DE ZAMBERTIS Venetus, Sacræ Theologiæ doctor egregius & Concionator inſignis, & muſicus celebris, plurimum (vt intelligo) variis in ſcientiis ingenium ſuum exercuit, quantumque in iis verſatus fuerit, manife-

ſtum euaſit dum publicè, tum Papiæ, tum Patauij ſumma omnium admiratione legeret. Fertur inter multa eruditionis ſuæ monumenta ſuper omnes libros Sentent. & Metaph. Commentaria conſcripſiſſe. Si quid tamen horum typis euulgauerit, adhuc nihil certi habeo. Moritur die 1. menſis Februarij anno 1592.

GERARDVS DE *Bononia*.

GERARDVS DE BONONIA, Generalis prior totius Ordinis vndecimus, ſacræ Scripturæ Doctor Pariſienſis, ingenio ſubtilis, Ordiniſque ſui amator & Rector celeberrimus, ſcripſit multa præclara volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit:

Super Sententias, lib. 4.
Quotlibeta varia, & multa, lib. 1.
Quæſtiones quoque, lib. 1.
Sermones varios, lib. 2.

Summam Theologię notabilem incœpit, quam morte præuentus finire non potuit. Moritur tandem in Auenione ſepultus, Anno Domini 1317. Inditione 15. Generalatus verò ſui anno 21. Trithem.

ANNOTATIO.

Meminit illius R. P. Iacob. Philipp. Ord. S. Aug. qui tamen in ſua Chronica vnius Gerardi noſtri bis, aut duorum mentionem facit, nimirum folio 252. & rurſum fol. 256. Meminit & Raph. Volaterranus, Mar. Anton. Sabell. ſimiliter & Cartuſianus in ſuo Temporum faſciculo hiſce verbis: Gerardus, inquit, de Bononia, Ordinis Magnæ MARIÆ

de

de Carmelo, Doctor Pariſii, ſapientiæ & doctrinæ opinione celebris, poſt plurium librorum editionem, in Auinione vitam exuit. hęc ille. Videre mihi licuit opus Quotlibeticum antiquo caractere in pergameno, ſeu membranis exaratum, cuius initium eſt tale: Quærebantur quædam. *& cętera. vltima verba eiuſdem operis ſunt illa:* de circunſtantia temporis, & de circunſtantia loci, *&c. Dies obitus illius aſsignatur in Necrologio Carmelitarum Florentinorum 17. Aprilis.*

GVIDO PERPINIANVS.

GVIDO PERPINIANVS, natione Cathalanus, duodecimus Prior Generalis, deinde Maioricenſis, & poſtea Eluenſis epiſcopus: vir in diuinis Scripturis doctiſsimus, ingenio acutus, ſcientia profundus, ſermone ſcholaſticus: qui apud Ioannem Papam 22. in honore & reuerentia habebatur, ſcripſit multa præclara volumina, quibus nomen ſuum poſteritati commendauit, de quibus ſubiecta feruntur: Ad Ioannem Papam 22. opus inſigne tripartitum, de perfectione Vitæ catholicæ, lib. 3.

Super Sentent. lib. 4.
Quotlibeta ſex, lib. 1.
Quæſtiones variæ ordinariè diſputatæ, lib. 1.
De Concordantia Euangeliſtarum, lib. 1.
Correctorium decreti, lib. 3.
De hæreſibus ad Cardinalem Albanenſem, lib. 1.
In lib. Phiſicorum, lib. 8.
Quęſtiones de Anima, lib. 1.

Alia quoque multa compoſuit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit anno Domini 1320. & moritur 21. Augusti Auenione ſepultus. Trithem.

AN-

ANNOTATIO.

Pluribus de hoc viro diſſeruimus in Commentario Carmelitico. Mentionem illius quoque facit M. Anton. Sabell. lib. 5. & plures alii Scriptores alienæ profeſsionis, preſertim pieniſsimus Scriptor Carthuſianus in ſuo Temporum faſciculo his verbis: Guido, inquit, de Perpiniano, ex Priore Generali Carmeliticæ Religionis, primum Maioricen. ac demum Eluen. Pontifex, Doctor inter præcipuos commendatus, & vt alter Elias pro domo Domini Zeloſus, poſt Correctorium iuris, & alia quamplurima volumina percõmendata, Librum contra omnes hereſes ſcribit, quem Domino Gancellino Cardin. Alban. pretitulauit, & multorum actuum ſuorum clariſsime geſtorum magnitudine Chriſtianum Orbem celebri rumore clarificauit. hæc ille. Preterea Trith. in opere De Scriptoribus Eccle. ait illum adhuc floruiſſe anno 1330. temporib. Ludouici 4. Imp. & Ioannis 22.

GOSVINVS HEX.

GOSVINVS HEX, patria Brabantinus, Conuentus Vliſinghenſis, epiſcopus Ieropolitanus, Traiectenſis epiſcopus Vicarius in Pontificalibus, vir in diuinis Scripturis egregiè doctus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, in declamandis ad populum ſermonibus valde eruditus, ſcripſit de Decem preceptis, lib. 1.

Directorium turbatæ conſcientiæ, lib. 1.

Sermones de tempore, lib. 1.

Sermones de Sanctis; lib. 1.

Et quædam alia. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio,

ſtio, anno Domini 1475. Inditione octaua, Kalendis Aprilis. Trithem.

GVLIELMVS COCKFORDE.

GVLIELMVS COCKFORDE Anglus, Theologus celeberrimus, & Philoſophus inſignis, diuini verbi promulgator ſingularis, ſcripſit elegantiſsima opuſcula, præſertim;

Lecturam Theologiæ, lib. 4.

In Canticum Moyſi.

Sermones de Tempo. & Sanctis, lib. 2.

Poſtillas Scripturarum, & quædam alia. Vixit anno Domini 1384. vt teſtatum reliquit M. Iacob. de Plebe Profeſſor Piſanæ academiæ ordinis Seruorum.

GVLIELMVS DE Sammuco.

GVLIELMVS DE SAMMVCO Carmelitici Ordinis ſingulare decus, vir doctiſsimus & Sacræ Theologiæ Profeſſor inſignis, natione Gallus, ſcripſit ad ędificationem ſimplicium fratrum pulchra, & apta volumina, de quibus ſubiecta feruntur.

Super Sentent. lib. 4.

Chronica de multiplicatione ſui Ordinis, lib. 1.

Declarationes ſuæ Regulæ, lib. 1.

Decretales Religioſorum, lib. 1.

Alia quoque nonnulla ſcripſiſſe dicitur, quæ tamen ad notitiam meam non venerunt. Claruit temporibus Rodulphi Imp. anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo. Trith. & Iacobus Phil. fol. 244.

GVLIELMVS TALISFORDE.

GVLIELMVS TALISFORDE, alias Caliſfordienſis, natione Anglicus, Doctor Sanctarũ Scripturarum ſtudii Canta-

brigienſis, vir eruditus & ſtudioſus, ingenio ſubtilis, vita & conuerſatione deuotus, declamator Sermonum egregius, ſcripſit valde notabiles Sermones de Tempore, lib. 1.

Sermones quoque de Sanctis, lib. 1.

Varias quoque Lecturas Scripturarum compoſuit, quas in præfato Gymnaſio legit. Trith. in vtroque Opere.

HADRIANVS HECQVET.

HADRIANVS HECQVET, Athrebatenſis, Sacræ Theologiæ Doctor celeberrimus, Philoſophus eximius, Concionator egregius, Græcè & Latinè doctiſsimus, plurima variæ doctrinæ conſcripſit Opera quæ omnia ferè diuerſis in locis extant typis excuſa, Præſertim opus varium quod Peripataſmaton inſcripſit, item eruditiſsimas conciones in Euang. Dominicalia, Quadrageſimale inſigne, Orationes Rhethoricas, Epiſtolas, & diuerſa Epigrammata, erat enim Poeta non ſpernendus. Si qua alia ſcripſit & excudit, neſcio, floruit adhuc poſt annum 1560. & vt obijſſe ſcio, ita mortis annum neſcio. Sepultus eſt Athrebathi, quod celebrrimum totius Artheſiæ oppidum eſt, mihi cum primis charum, eo quòd cùm ob nomen & Chriſti fidem Bruxella exularem, illud vnicum refugium & receptaculum mihi fuerit.

HENRICVS DE ANDERNACO.

HENRICVS DE ANDERNACO, natione Teutonicus, Colonienſis diocceſis, vir tam in Scripturis diuinis, quam in ſecularibus ſcientijs ſtudioſus & eruditus, ingenio promptus & diſputator acutus, ſcripſit volumen inſigne.

Super Senten. lib. 4.

Sermones de Tempore, lib. 1.

Sermones quoque de Sanctis, lib. 1.

Quæſtiones Philoſophiæ. Sed & aliâ quædam compoſuit, quæ ad me non venerunt. Trith.

HENRICVS DE ARENA.

HENRICVS DE ARENA, natione Anglus, patria Norduallus, vir valde eruditus & in ſcientiis vtriuſque generis humani ſcilicet & diuini probè verſatus, dictauit ſuis Scribendarum epiſtolarum formulas. Scripſit quoque de Ordinationibus locorum librum vnum. Si quæ alia edidit, me latet. obiit Stanfordiæ anno Domini 1299. vt legitur in Indice R.M. Iacobi de Plebe Piſani Ord. Seruorum Profeſſoris in dicta Vniuerſitate Piſana celeberrimi.

HENRICVS DOLENDORPIVS.

HENRICVS DOLENDORPIVS, natione Teutonicus, ante Tilmãnum Prouincialis Prior Inferioris Alemaniæ, vir doctus & eruditus, & declamator celeberrimus, ingenio præſtans & eloquio ſcholaſticus, diſputator quæſtionum acerrimus, ſcripſit notabile opus.

Super Sententias, lib. 4.

Sermones quoque varios & vtiles, & quædam alia. Moritur in Conuentu Colonienſi ſepultus anno Domini 1365. inditione 3. quarto Iduum Februarias. Trith.

ANNOTATIO.

Typographorum errore factum eſſe puto, quod nonnulla exemplaria variant in aſſignando anno obitus huius viri. Trithem. in opere magno de Scriptoribus Eccleſiaſtic. aſſerit hunc adhuc vixiſſe anno 1370. quod etiam teſtatur Index aliquot Scriptorum Carm. Magiſtri Iacobi de Plebe Ordinis Seruor. Suſpicor

igitur mendum eſſe in exemplari Antuerpien. ita vt pro 1365. legendum ſit 1375. eo enim anno currebat Inditio 3. vt annotauit ſolertiſsimus vir Ioannes Lucidus Ordinis Prędicatorum. in ſua Emendatione Temporum.

HENRICVS SILVIVS.

HEnricvs Silvivs Papienſis, ſacræ Theologiæ Doctor celebris, Philoſophus clarus, & Concionator egregius, multa eleganter ſcripſit Theologica & Philoſophica, Sermones & Tractatus ſuper Euangelia, & alios ſacrę Scripturæ libros; Cæterum de Lectionibus in Philoſophia publicè Papiæ habitis quid attinet dicere, cum totius Patauini ſtudij calculo ſunt iudicatæ elegantiſsimæ? Viuit etiamnum, indies complura conſcribens.

HERENVS DE BOYO.

HErenvs De Boyo, natione Brito, vir in diuinis Scripturis peritiſsimus, & ſecularis Philoſophiæ non ignarus, ingenio ſubtilis, eloquio Scholaſticus, & ſanctarum interpres literarum, Doctorque Pariſienſis profundus, fertur nonnulla præclara volumina cudiſſe, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus extat opus inſigne.

Super Sentent. lib. 4.

Quæſtiones variæ. & alia quæ nos latent. Trith.

HORATIVS SALICINVS.

HOratius Salicinvs, Ferrarienſis, vir profectò ingenioſiſsimus, & in concinendis Rithmis Italicis elegantiſsimus. præterea in concionando celebris & facundus. Erat

enim vir in vario ac multiplici lectionis genere à pueritia verſatus. Opera quę typis euulgauit, ex ſubiecta Annotatione manifeſta fient. floruit in diuerſis Italiæ ciuitatibus. cęterum diē extremum clauſit Florentiæ anno 1582. ſepultus in Conuentu Carmelitarum, vulgò S. Mariae Maioris.

ANNOTATIO.

Erat huic viro, priuſquam ſacro noſtræ Religionis habitu indutus eſſet, nomen Alexander, & ob hoc inſigne quoddam Opus Rithmicum lingua Italica conſcriptum ſub Alexandri Salicini nomine editum eſt Florentię anno 1566. per Valentem & Marcum Peri Typographos. Operis titulus eſt talis: La prima parte de ſoggetti Poetici, &c. Prima itaque Operis pars excuſa eſt, reliquę tres adhuc inter manus Typographorum hærent. Nec illud omittendum, eundem Florentiæ publicè in Academia (vt vocant) legiſſe, ac omnium admiratione Tractatum quendam de Detractione enucleaſſe ac declaraſſe. Huius viri (ac aliorum) mihi notitiam dedit admodum honorandus P. Ioannes Bapt. Bottonius Carmelita Ferrarienſis, ſimulq; pro ſua qua eſt erga me animi beneuolentia, Opus iam citatum videndum exhibuit.

HVBERTVS LEONARDVS.

HVBERTVS LEONARDVS Epiſcopus Darienſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, & ſæcularis literaturæ non ignarus, ingenio præſtans & clarus eloquio, qui olim

olim in Gymnaſio Pariſienſi Theologiam egregiè docuit, ſcripſit multa commendatiſsima opuſcula quibus nomen ſuũ notificauit cum gloria, de quibus ſubiecta feruntur.

De Genealogia nobilium Francorum & geſtis eorum, ad Ludouicum Epiſcopum Leodienſem, lib. 1.
In Euangelium Lucæ, lib. 1.
De Regimine principum, lib. 3.
De immunitate Eccleſiaſtica, lib. 3.
Contra hæreticos Niuellenſes, lib. 1.
Sermones varij, lib. 1.
Quadrageſimale notabile, lib. 1. & alia complura.

Hic cùm eſſet Inquiſitor hæreticæ prauitatis contra quoſdam hæreticos Niuellenſes per diœceſim Leodienſem, gladio ſancti Spiritus eos confutauit & vicit, ſcribens præfatum opus celeberrimum octo & viginti propoſitiones principales continens. In quo totidem articulos eorum erroneos fortiter, ac diſertè oppugnans reprobauit. Claruit in Germania vnde & oriundus fuit, ſub Frederico Imper. III. & Innocentio Papa VIII. 1490.

ANNOTATIO.

Hęc omnia Trithem. ad uerbum in Opere maiori de Scriptorib. Eccleſiaſt. quartò ab ipſo recognito, quod extat in celeberrima Bibliotheca Sancti Marci Florentię in Pulpito vigeſimo propè murum ad leuam ingredientis.

HVGO VYRLEI.

HVGO VYRLEI Anglus Noruicenſis, vir celeberrimus, & in omni ſcientiarũ genere apprimè verſatus, concionator egregius, & diſputator acutiſsimus ſcripſit.

Figu-

Figuras Hiſtoriarum.
Collationes XVIII.
Quæſtiones ordinarias.
Lectiones Scripturarum.
Commentarios in Mattheum.
Determinationes 96.
Placita Theologica.
Sermones varios.

& alia complura, quorum notitiam non habemus. Floruit anno Domini 1344. Iacob. de Pleb. Ordin. Seruorum in Catalogo Script. Carmelitarum.

IACOBVS CALEVS.

IACOBVS CALEVS Papienſis Italia oriundus, vir doctiſsimus, ingenio promptus, eloquioque diſertus, elegantiſsimum librum edidit De Diuortio Henrici octaui Anglorum regis.

Item vbi diſſerit de Purgatorij loco, lib. 1.

De impunitione ſpiritus, lib. 1.

De Genealogia CHRISTI, lib. 1.

De filio hominis, lib. 1. & alia multa nobis incognita cultiſsimi ingenij ſui reliquit monumenta. Clarũit anno Domini 1533. vt ſcripſit R. M. Iacobus de Plebe, Seruita, in Indice illuſtr. Script. Ord. Carm.

IACOBVS MAISTRET.

IACOBVS MAISTRET, Lugdunenſis, ex almæ noſtræ Carmelitanæ Religionis gremio Damaſcenus Epiſcopus, ac Reuerendiſsi. Archiepiſcopi Lugdunenſis in Spiritualibus Snffraganeus, vir morum probitate, & exquiſita eruditione cunctis venerabilis, in diuinis Scripturis ad vnguem inſtructus, in paſcendo grege ſibi concredito diligentiſsimus, in Prædicatione Verbi Dei ardens & vehemens. Præter hæc etiam diligentiſsimus eſt in componendis & conſcribendis Tractatibus & Commentarijs, quæ ſuo tempore (vt ſperamus)

mus) in lucem prodibunt. Habet hic pientiſsimus vir nepotem tanquam auitæ pietatis ſocium aut hęredem Iacobum Maiſtret Pariſienſis Academiæ Profeſſorem inſignem, de cuius eruditione & humanitate confidentius loqui poſſum, cum eandem per dies aliquot Bizuntij (vbi anno 1589 Priorem vigilantiſs. agebat) expertus ſim. Intellexi eundem adhuc viuere, verùm relicta Bizuntio, alio commigraſſe.

IACOBVS A LEOCATA.

IACOBVS A LEOCATA natione Siculus, vir eruditiſsimus, Sacræ paginæ doctor percelebris, pręterquam diuerſis in Collegiis præſertim Patauino, Senenſi, ac Florentino, docuit, etiam nonnulla clariſsimi ingenij ſui monumenta calamo tradidiſſe fertur, nimirum:

Super Sententias.
In Metaph. Ariſtotel.
In Logical.

Conciones per ſacrum Quadrageſimale tempus. quorum omium ſi quid ad publicam Eccleſiæ vtilitatem typis traditum ſit, nondum pro comperto habeo.

IACOBVS A GAVIO.

IACOBVS RAYMVNDI A GAVIO in territtorio Genuenſi natus vir clariſsimus, & inſigni eruditione conſpicuus, ſacræ Theologiæ Doctor & ſcrutator profundiſsimus, in publicis obeundis muneribus aſsiduus. totius enim Ordinis noſtri Secretarius extitit, aliquot prouinciarum commiſſarius, Vicarius ſolertiſsimus, multa, dum à publicis negocijs otium daretur ſcripſiſſe dicitur tam in Theologicis quàm Philoſophicis ſtudijs. Præſertim Orationes complures diuerſis in locis tam à ſe quàm ab alijs habitas. Commentarium ſuper Pſalm. Benedic anima; Expoſitiones aliquot capitum lib. Geneſios

Super Epiſt.Pauli ad Epheſios.Super ſecundũ Sẽten. Super 3. De Anima. Extare feruntur nonnulla eiuſdem Opuſcula typis excuſa; nihil tamen hactenus mihi videre licuit,præter doctiſsimam Orationem quandam Romę excuſam & habitam in creatione Reuerendiſs. P.noſtri Generalis Io.Bapt.Caffardi, cuius mors (dum hæc ſcribimus) allata, non minimam triſtitię cauſam attulit. Viuit dictus Iacobus vſque hodie varia in dies conſcribens. habet enim ob oculos dictum illud Plinij, quo ait: omne illud perire tempus quod ſtudio non impertitur. Sed & illud non minimam laudatiſsimi viri laudem amplificat, quòd cum ſumma eruditionę etiam eloquentiam iunxerit. Latiniſsimas enim tam ad me, quam ad alios ſcribit epiſtolas. & quod in pleriſque rarum eſt, adeò expeditè & promptè Latinè loquitur, vt te cum Hieronymo aut Cypriano ſermonem habere credas. Hæc de tali viro tantò confidentius diximus, quantò ipſius ingenium facto periculo nobis eſt perſpectius. Doctiſsimus Regentis ſeu Profeſſoris Theologiæ munere functus eſt in celeberrimis quibusq; Italiæ locis præſertim Florentiæ, Taurini, Romæ, atque Neapolis. Viuit Genuæ.

IACOBVS DE REGIO.

IACOBVS DE REGIO natione Italus, vir in diuinis Scripturis doctiſsimus, & ſęcularibus literis magnificè imbutus, trium linguarum principalium Hebraicę, Grææ, & Latinæ peritus, ingenio clarus & diſertus eloquio, metro excellens & proſa ſcripſit notabiles ſermones per Quadrageſimam lib.1. Multa etiam Carmine ſcripſiſſe dicitur, ſed ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio anno Domini 1460. Trithem.

IASPAR BERVS.

IASPAR BERVS à Louanio, Conuentus Bruxellenſis ſacrę Theologiæ Doctor egregius, Grȩcè & Latinè peri-

tus, diſertus & eloquens, & in habendis ad populum Concionibus facundus declamator. multa conſcripſit quæ tamen magna ex parte hæreticorum perfidia diſperſa & amiſſa ſunt. Memini me ante annos aliquot Bruxellæ vidiſſe Commentaria quædam in Epiſtolam D.Pauli ad Rom. Decem Præceptorum eruditam explicationem, & Conciones quaſdam tam de tempore quam de ſanctis. Plura alia inſuper ſcripſiſſe certum eſt, quorum nomen claturam & titulos ignoro. Hic paulò ante tumultum Belgicum in Italiam profugit, ſed mortem non effugit. nam Romæ in Tranſpontina veteri circa initium Generala tus præfati affardi moritur & ibidem ſepelitur.

IOANNES DE ALERIO.

IOANNES DE ALERIO Tholoſanus, tertiusdecimus Prior Generalis totius Ordinis, vir in diuinis Scripturis eruditus, ingenio, ſcientia & eloquio clarus, vita quoque & conuerſatione præcipuus, ac regularis diſciplinę conſeruator inſignis, ſcripſit inſigne volumen

Super Sententias, lib. 4.

In Eccleſiaſticum Lecturam notabilem, lib. 1.

& quædam alia, quæ necdum repperi. Laruit anno Domini 1330. Iacet ſepultus in conuentu ſuo Tholoſano. Trithem.

ANNOTATIO.

Plura de hoc viro leges (ſi lubet) in Commentario noſtro Carmelitico. Trithemius in lib. de Script. Eccleſiaſticis aſſerit totum ordinem ſtrenuè gubernaſſe annis nouem, electumq; fuiſſe anno 1321. inditione 4. quo tempore eundem claruiſſe etiam teſtatur Index Script. Carm. Iac. de Plebe Ordinis Seruorum. Cæterum

rum in Necrologio Carm. Florentinorum annus obitus ſignatur 1342. die 23. Nouembris. ſed hæc parum ad preſens inſtitutum.

IOANNES DE *Aqua-ueteri*.

IOANNES de Aqua-ueteri, natione Teutonicus, patriâ Brabantinus, Conuentus Mechlinienſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus, & longa exercitatione peritus, in declamandis ad populum ſermonibus excellentis ingenij, Ordiniſque ſui ſtudioſus amator & cultor deuotus, ſcripſit ad multorum fratrum inſtantiam & ædificationem de initio, profectu, & ſtatu ſui Ordinis commendabile opus, quod prænotauit Faſciculum temporum Tripertitum Ordinis Fratrum Beatæ MARIAE ſemper Virginis de monte Carmelo, lib. 3. In quorum primo Eliam & Eliſeum Prophetas, Ordinis ſui fundatores extitiſſe probat: in ſecundo Sanctos & canonizatos ex eodem enumerat: In tertio ſucceſsiones Priorum Generalium totius Ordinis ſui ſecundum tempora locat. Cætera verò quæ compoſuiſſe dicitur, ad notitiam meam non venerunt. Viuit adhuc in Conuentu Aquenſi, & cœpto fortiter perſtat in ſtudio, anno Domini quo hæc ſcripſimus, milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſecundo Indictione decima. Hæc omnia Trithem.

IOANNES DE ARVNDINE.

IOANNES DE ARVNDINE, natione Teutonicus, Conuentus Brugenſis, Epiſcopus Vsbitenſis, vir in diuinis Scripturis eruditus, & in ſæculari Philoſophia egregiè doctus, declamator ſermonum celeberrimus, ingenio ſubtilis, eloquio & conſeruatione clarus, ſcripſit multa præclara opuſcula,

quibus nomen ſuum longè notificauit, de quibus feruntur ſubiecta.

Lectura notabilis in librum Sapientiæ, lib. 1.
In epiſtolam Pauli ad Romanos, lib. 1.
Super Beati immaculati Sermonum, lib. 1.
Sermones de tempore, lib. 1.
Sermones de Sanctis, lib. 1.

Alia quoque multa ſcripſiſſe dicitur quæ ad notitiam meam non venerunt. Viuit adhuc in vrbe Traiectenſium Vicarius Epiſcopi in Pontificalibus ibidem exiſtens. Trithem.

ANNOTATIO.

Ex opere maiori Trithem. de Script. Eccleſiaſtic. conſtat Traiectenſium Epiſcopum fuiſſe (cuius hic noſter Epiſcopus ſuffraganeus fuit) Dauidem de Burgundia virum nobilem & eruditum.

IOANNES DE BACCONE.

IOANNES DE BACCONE, natione Anglicus, Prior Prouincialis Angliæ, Doctor Pariſienſis, vir vndecunque doctiſſimus, Philoſophus, Iuriſta & Theologus celeberrimus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, ſcripſit multa præclara Opuſcula de quibus feruntur ſubiecta.

In totam Bibliam Commentaria.
In Senten. lib. 4.
Compendium legis Chriſti.
Placita Theologica, lib. 4.
Determinationes, lib. 1.
In Metaphyſ. Ariſtot. lib. 12.
In Ethica. lib. 10.
In Politica, lib. 8.

In

In De Anima,lib.3.
In Meteor.lib. 4.
De Cœlo & Mundo, lib.4.
De Generatione, & Corrupt. lib.2.
De Senſu,& Senſili, lib.2.
De memoria & reminiſcentia, lib.2.
De ſomno,& vigilia,lib. 2.
De longitudine, & breuitate, lib.2.
In Phyſicam,lib.8.
In Elench. lib. 2,
In Topicis, lib. 4.
In poſteriora Ariſtotelis,lib.2.
In priora, lib. 2.
Compendium iurium Carmel.lib.1.
De paupertate Chriſti,lib. 1.
In Auguſtini de Ciuitate Dei,lib. 23.
In Auguſtini de Trinitate.
In Anſelmum de Incarnat Verbi, lib.1.
In eundem Cur Deus homo,lib. 2.
Sermones varios,lib.2.
De æternitate Dei, lib. 1.
De Fide & Baptiſmate, lib.1.
De dignitate Eccleſiæ,lib.1.
Contra Idololatriam,lib.1.
De potentijs Animæ, lib.1.
De perfectione Iuſtitię,lib 1.
Compendium Chriſtianę pietatis,lib.4.
De aſtrorum ſcientia, lib.1.
Contra artes Magicas, lib.1.
In Canones Pontificum,lib.1.
De Sphera iudiciali,lib. 1.
De multiplicatione ſpecierum, lib.1.
De iuriſdictione clauſtralium,lib.4.
Contra vanitates ſeculi,lib.1.
Contra Iudęos,lib.1.

In quibus omnibus ingenium ſuum magnificè exercitauit.
Alia

Alia inſuper multa compoſuit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit temporibus Caroli Imperatoris quarti, & Clementis Papæ ſexti anno Domini 1345. Trithem.

ANNOTATIO.

Quicquid ad doctiſsimi viri encomion ſeu laudem ſpectans hic legiſti, totum illud verbotenus ex Trith. encomio deſumptum eſt: Operum duntaxat Indicem ex Cathalogo Iacobi de Plebe Seruitæ deſcripſimus, eo quòd videremus accuratius ibidem ſuorum operum nomina recenſeri. Opus autem contra Iudæos, nec in præfato cathalogo nec in Trithemij opere de Script. Carm. numeratur., ſed refertur ab eodem Trithem. in opere de Scriptorib. Eccleſiaſt. Annus mortis (ſi tamen mortuus dici debet quem inſignis eruditio immortalem fecit) me latet. In dicto autem cathalogo Seruitæ fertur adhuc vixiſſe, & eruditionis opinione floruiſſe anno 1346. In opere Trithem. de Scriptorib. Eccleſiaſt. anno 1350. temporib. Pont. & Imp. vt ſupra. Honorificam huius Bachonis noſtri mentionem facit doctiſſimus vir Iacobus Philippi Ord. Erem. S. Auguſt. fol. 258. et Carthuſianus in ſuo Faſciculo Temporum hunc in modum: Ioannes, inquit, de Bacchone Carmelita, Theologię ſapientia, Canonicæq; ſcientia Princeps, Pariſius, & demum per Angliam clarus cognoſcitur. hæc ille.

IOANNES BALISTARIVS.

IOANNES BALISTARIVS Cathalanus, Prior totius Ordinis Generalis decimus-ſextus, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus, & ſæcularis Philoſophiæ ſcrutator acutus, ingenio præſtans, & clarus eloquio. Scripſit quædam præclara volumina, quibus nomen ſuum ad poſteros deſtinauit, è quibus extant ſubiecta.

Super Senten. lib. 4.
Conſtitutiones Ordinis ſui, lib. 1.
Sermones varios ſcripſit.
De nouiſſimis temporibus ad Papam, lib. 1.

& quædam alia. Moritur anno Domini 1374. Inditione 12. Octauo Kalend. Octobris, in Conuentu Maioricarum ſepultus. Trithem.

ANNOTATIO.

Trithem. in Opere de Script. Eccleſiaſt. ait fuiſſe Generalem decimum-ſeptimum, Ordinemq; rexiſſe annis ſedecim, de quibus latius in noſtro Comment. Præterea, niſi me mea fallit opinio, Liber ille de nouiſſimis temporibus ad Papam, vnus & idem eſt cum illo qui in Indice Seruitę (vbi et Sermones varios ſcripſiße dicitur) intitulatur De bello militantis Eccleſię & Antichriſti. Cæterum Pontifex ille cui hoc opus dedicatum & tranſmiſſum fuit, erat Gregorius vndecimus, cuius anno Pontificatus quarto terras liquit, vt colligitur ex Trith. de Script. Eccleſiaſt. Meminit huius perquam honorificè Raph. Volaterranus, & alij pleriq; Conſtitutiones autem Ordinis noſtri primus omnium in libellum ſeu ordinem redegit anno Domini

mini 1369. vt colligitur ex varijs exemplarijs excuſis & manuſcriptis; quod & teſtatur Reuerendiſs. Magiſter Io. Baptiſt. Caſſardus (de quo modo dicturi ſumus) in Prefatione noſtrarum Conſtitutionum à ſe editarum.



IOANNES BAPTISTA Caſſardus.

IOANNES BAPTISTA CAFFARDVS Senenſis Sacræ Theologiæ doctor egregius, ac totius Ordinis noſtri Prior Generalis. Vir inſigniter eruditus, cunctis comis & blandus, moribusq probatiſsimis præditus, ingenio acri, ſermone compoſito, priuſquam ad tantæ dignitatis faſtigium euectus eſſet

omne

omne eruditionis genus ſatis feliciter coluit, multaq; in Theologicis & Philoſophicis diſciplinis elaborauit atque conſcripſit, eademque in diuerſis Italiæ collegiis docuit, præſertim Super Sententias eruditè ſcripſiſſe, doctiſſimasque Conciones per Quadrageſimam compoſuiſſe fertur. Is anno 1580. In totius Ordinis Generalem electus & confirmatus, ad optima quæque animum appulit. Anno 1584. Ordinis Breuiarium, ac deinceps Conſtitutiones atque Miſſalia (accedente nutu ſedis Apoſtolicæ) ad vnitatem redigere conatus eſt. Tandem plenus dierum atque virtutibus, annum agens circiter ſexageſimum ſecundnm, poſt innumeros terra marique exantlatos labores terrena peroſus, cœleſtia dona, quæ hactenus deſyderauit, die tertia menſis Aprilis, anno 1592. ſub Clemente octauo Rom. Pont. adeptus. Sepultus Senis vnde oriundus erat; In huius optimi viri mortem nænias aliquot ſeu cantus funebres mœſtus cecini typisque tradidi, quæ huc recenſere non eſt præſentis inſtituti, ſufficiat hoc loco Epitaphium à nobis exaratum eiusque tumulo affigendum apponere, quod eſt tale.

Quid premit iſte lapis? Caſſardi membra; Sepulchro
Clauditur & Virtus? Non; nitida aſtra tenet.

ANNOTATIO.

Intellecta huius viri morte magna vbiq; funeris pompa parentatum eſt, multaq; næniæ tumulo affixæ, & à diuerſis alienæ Profeſſionis Theologis habitæ Orationes funebres. Carmelitæ certè Florentini in hiſce nõ poſtremi fuere, verùm conuocato vniuerſo Theologorum Collegio, magna cum ſolemnitate animæ illius inferias perſoluerunt. Orationem funebrem habuit eruditiſſimus vir R. M. Io. Bapt. Irriguus Ordinis S. Aug.

Auguſt. Erem. tunc temporis Conuentus Florentini, nunc Bononienſis Regens & Profeſſor eximius, ac dicti Reuerendiſsimi noſtri coetaneus. Complures etiam eruditi viri feretro Epitaphia affixerunt. Quæ omnia huc referre, cùm nō ſit animus, tamen ob ſingularem animi affectum, me continere nequeo, quin vnius Laurentij Bartholoctij à Fighino viri cum primis probi & eruditi Carmen, præſentibus adijciam, quo manifeſtum euadat, quo animi candore vir ille ergà Carmelitanæ Relligionis cultores exiſtat. Carminis igitur tenor eſt talis:

Caſſardo lachrymas Carmeli verticis omnis
Incola nunc ſpargat, ſpargat & inde Roſas.
Nec non ad tumulum pia verba ac thurea grana
Afferat & Myrhis mortua membra riget.
Quod cineri præſtet melius, quod gratius optet
Eſt nihil; hic tali dignus honore rogus.
Huius flent obitum Graiæ, Latiæq; Camænæ,
Ingenio clarus, clarus & eloquio.
Huius ſi numeres heroica facta, vel amplas
Virtutes: omnes hunc ſuperaſſe feres.
Mors ſuperat, fœlix anima aſt ſuper æthera fertur
Altius, at tumulo Carmina bina damus:
Hic Baptiſta iacet Caſſardus, clara propago,
Cui pietas, probitas, relligioq; fuit.

IO. BAPTISTAE CAFFARDI
Ad ſuos Carmelitas
Apoſtrophe, per eundem:

Iam lachrymis tandem, lachrymis iã parcite Fratres,
Sitq́; modus veſtrę triſtitię & lacbrymis.
Viuo modo fœlix; & vita perfruor, at vos
Mortis iura manent; Poſt Deus aſtra dabit.
Nunc genus ęterni, non enarrabile Chriſti
Detecta aſpiciunt lumina noſtra quidem.
Huc Charitas ardens duxit, Spes certa futuri
Me regni, ac pariter relligioſa fides:
Quare agite ò fratres pia gaudia pectore ab imo
Fundite, ſupremo ac proſpera vota Deo.

IO. BAPTISTA RVBEVS.

IO. BAPTISTA RVBEVS (vulgò Roſſo) Rauennas, vir eruditiſsimus totiuſque ſacri Ordinis noſtri Prior Generalis, ac præfati Baptiſ. Caffardi prædeceſſor optimè meritus: Theologus inſignis, Philoſophus celebris, Græcè pariter ac Latinè doctus, ſermone diſertus, & vt quorundam dam fert opinio ſtylo duriori delectatus, Cęſarem potius aut Titum Liuium quam Ciceronem in lingua Latina exprimere viſus eſt. Vt vt ſit, multa in diuinis literis eruditè conſcripſit, publicèque docuit. In pleroſque (neſcio an in omnes) Sententiarum libros, & Ariſtotelis præſertim ſuper 5. & 6. Phyſicorum, commentarios conſcripſit eruditiſſimos. Commentatus etiam in Epiſtolam D. Pauli ad Galat. Excerpſit etiam Concluſiones quaſdam ſubtiliores ex Quotlibeto M. Michalis noſtri De Bononia in 4. Sentent. Verum

enimverò maximam laudem hic vir promeritus eſt vel ob vnicum heroicum planè factum, in reſtituendis Operibus (non tamen omnibus) inuicti hæreticorum mallei R. M. Thomæ Vvaldenſis Carmelitæ, quibus & Scholia quędam adiecit, typiſque mandauit. Multa prætereà conſcripſit Conſulta ſeu Conſilia Eccleſiaſtica, ſuper dubijs, & ambiguis rebus à pleriſque viris grauiſsimis eidem tanquam viro emunctæ naris, acrique iudicio prędito, propoſitis. Si quæ alia typis tradita aut tradenda compoſuit, me (vt ingenuè fatear) latent. Tandem verò poſt ingentes perpeſſos labores, & ad exteras nationes peregrinationes, aliquot habitis Comitijs Generalibus Romæ vita functus eſt die 5. Septembris, Anno Domini 1578. ſexto nimirum Pontificatus anno Gregorij XIII. Pon. Max.

ANNOTATIO.

Decimoſexto die poſt præfati viri mortem, accidit Bruxellæ lugubre profectò cunctisq; ſęculis deplorandum ſpectaculum: Siquidem eodem die (qui tunc erat Dominicus Diui Mattęi ferias ſecum ferens) Carmelitarum Eccleſia fœdè nimis hæreticorum Caluiniſtici fermenti prædicatione defœdata & prophanata fuit. Verùm Dei Opt. Max. benignitate anno 1585. die 19. Menſis Martij Potentiaq; Regis Catholici perfidorum veſania longa inedia domita, vna cum tota ciuitate diuino cultui reſtituta, paucisq; poſt diebus reſacrata (vt ita dicam) & expiata fuit. Geſtit quidem animus totius rei geſtæ ſeriem perſtringere (nam iuxta vetus prouerbium, Quod fuit durum pati, meminiſſe dulce eſt) verùm cùm præſens negotium, hoc tanquam parerga recuſet, in aliud tempus illud reijciemus.

ciemus. Itaq; ad Baptiſtam redeo. Fuit is electus in Generalem Romæ in Conuentu S. Martini in Montibus. anno 1564. in feſto Pentecoſtes.

IOANNES BATE.

IOANNES BATE natione Anglus, vir doctiſsimus, ingenio acutus, & ſermone diſertus, plurima conſcripſit quibus nomen ſuum ab obliuionis iniuria vindicauit, ex multis pauca tamen recenſebimus. ſcripſit autem

De conſtructione partium orationis. lib. 1.
Super Vniuerſalia, lib. 1.
Super prædicamenta, lib. 3.
In ſex principia, lib. 1.
Quæſtiones de anima, lib. 1.
In introitu Sententiarum, lib. 1.
Acta ordinaria, lib. 1.
Encomium Theologiæ, lib. 1.
Replicationes argumentorum, lib. 1.
Compendium Logices, lib. 1.
Sermones per annum, lib. 1.
De Aſſumptione B. Mariç, lib. 1. & quędam alia quorum memoriam non habemus. Claruit anno Domini 1429. quo etiam obiit. vt habetur in Indice Seruitæ de Script. Carm.

IOANNES BASTON.

IOANNES BASTON, alias Beſton Anglus, vir ſummæ eruditionis & ſapientiæ, in communem Chriſtianorum vtilitatem varia Opuſcula conſcripſit ex quibus nominatim iſta feruntur.

Compendium Theologiæ moralis, lib. 1.
Ordinariç quæſtiones, lib. 1.
Super

Rudi-

Rudimenta Logicalia, lib. 1.

Sermones in Euang. & Epiſt. lib. 2. & plura alia nomina & tituli hactenus inueniri non potuerunt. Obijt anno Domini 1428. M. Iac. de Plebe Ord. Seru. vbi ſupra.

IOANNES BEETHS.

IOANNES BEETHS Teutonicus, Conuentus Thenenſis, doctor ſacrarum literarum celeberrimus, & in Philoſophia ſæculari multum eruditus, ingenio ſubtilis, eloquio clarus, diſputator acutus, Dei verbi Prædicator egregius, non minus conuerſatione quam ſcientia venerabilis, ſcripſit ad ædificationem fratrum quædam prеclara volumina, de quibus ſeruntur ſubiecta.

In Epiſtolam Pauli ad Romanos, lib. 1.
Præceptorium diuinæ legis, lib. 10.
De Sacramento Altaris, lib. 1.
Sermones de Tempore, lib. 1.
Sermones quoque de Sanctis, lib. 1.
Quæſtiones variæ diſputatæ, lib. 1. & quędam alia. Moritur anno Domini 1476. 16. Kalendis Auguſti. Trithem.

ANNOTATIO.

Doctiſsimi viri huius ſepulchrum vidi, dum ob fidem Chriſti exularem Theniſq; commorarer. quin & plæraq; eiuſdem doctoris opera typis excuſa vidi & legi, præſertim elegantiſſimum opus decem Preceptorum.

IOANNES BERNEGAM.

IOANNES BERNEGAM, natione Anglicus, Doctor in diuinis Scripturis eruditiſsimus, & in ſæcularibus literis egregiè doctus

doctus, in declamandis ad populum ſermonibus, diſputandiſque quæſtionibus Scripturarum excellentis ingenii, ſcripſit ſuper Sententias opus præclarum, lib. 4. & quędam alia. Claruit ſub Eugenio Papa quarto, anno Domini 1430. Trithem.

IOANNES BRAMMART.

IOANNES BRAMMART Teutonicus, conuentus Aquenſis, Prior Prouincialis inferioris Alemaniæ, Doctor Pariſienſis, in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, ingenio ſubtilis & compoſitus eloquio, vita & conuerſatione deuotus: ſcripſit inſigne Opus ſuper Sententias lib. 4. cõtinens, quod Pariſijs compleuit anno Domini 1380. Inditione 3. Incipit autem ſic: Verbum Domini ſuper Ioannem. Sermones quoque & varias quęſtiones. Moritur in Conuentu Colonienſi ſepultus anno Domini 1407. Inditione 15. Trithem.

IOANNES CAMSCON.

IOANNES CAMSCON alias Camſcen. natione Anglicus, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis Philoſophiæ non ignarus, ingenio præſtans & clarus eloquio, declamator ſermonum popularium excellentiſſimus, ſcripſit ad vtilitatem legentium Sermones de tempore, lib. 1. Sermones quoque de Sanctis, lib. 1. cætera quę compoſuit, ad notitiam meam non venerunt Trithem.

IOANNES DE CIMINETHO.

IOANNES DE CIMINETHO, Lector Conuentus Metenſis natione Gallus, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & multum eruditus, ingenio præſtans & clarus eloquio, declamator ſermonum popularium egregius, ſcripſit.

Spe-

Speculum inſtitutionis Ordinis ſui, lib. 1.
Sermones de Tempore, lib. 1.
Sermones quoque de Sanctis, lib. 1.
Sermones per Quadrageſimam, lib. 1.

Alia quoque nonnulla compoſuiſſe dicitur, ſed ad notitiam meam adhuc non venerunt. Trithem.

IOANNES CONSOBRINVS.

IOANNES CONSOBRINVS patria Portugallenſis, vir in diuinis Scripturis eruditiſsimus, & ſæcularium literarum non ignarus, Theologus, Philoſophus ac Iuriſta celeberrimus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, declamator Sermonum egregius, qui multa contra hæreticos fortiter geſsit pro Chriſti amore. Scripſit ad inſtantiam Præpoſiti Regalis Collegij Diuæ Mariæ de Amthem in Anglia Opus tripartitum inſigne.

De Contractibus & Conuerſationibus, quod prænotauit de Iuſtitia commutatiua, lib. 4.
Sermones quoque varios, & quædam alia.
Conflatum Franciſci Maronis grato compendio abbreuiauit. Claruit anno Domini 1475. & ſub Sixto Pontifice quarto Vlixbonæ, non ſine veneni potati opinione, mortem obiit. Trithem.

IOANNES CARTHENIVS.

IOANNES CARTHENIVS in Hannonia Belgii Comitatu celebri natus Theologiæ Doctor egregius, Trium linguarum Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ Profeſſor eximius, ac Conuentus noſtri Bruxellenſis Prior vigilantiſsimus. plurima conſcripſit eruditionis plena Opuſcula, quorum maximam partem typis excuſa vidimus, præſertim.

Sermones de Tempore.

Sermones de Sanctis.
De quatuor Nouiſsimis.
In Apocalypſim Ioannis.
In multas epiſtolas D. Pauli.
In decem præcepta. Et alia multa ſcripſiſſe dicitur, quæ temporum iniuria & quorundam incuria, vel perdita, vel obtenebrata ſunt. Emiſerat hic vir monaſticam profeſsionem ſub nomine Conuentus Valencenenſis, in cuius territorio cum eruditiſsimas per Quadrageſimam conciones haberet, à quibuſdam æmulis falſò delatus, tanquam parum rectè de Catholica fide in quibuſdam ſentiret, Bruxellenſis Conuentus (cuius ſe filium etiam vocari voluit) pro carcere ad vltimum vſque vitæ diem decernitur. Verùm anno vndecimo detecta maleuolorum calumnia, non ſolùm libertate donatus eſt, verùm & Illuſtriſsimi Reuerendiſsimique D. Archiepiſcopi & Ducis Cameracenſis Theologus & intimus Conſiliarius conſtituitur, relicto prius (potiſsimùm ob linguæ noſtræ imperitiam) Bruxellenſi Prioratu. Cæterùm quàm bonæ & honeſtæ vitæ, quamque aſsiduus in docendo ſcribendoque extiterit, præter domeſtica noſtræ Carmelitanæ familię oculata teſtimonia, idem ſæpius mihi teſtatus eſt admodum Reuerendus & pius Dominus Martinus Vande Zande Viluordienſis, præfatæ ciuitatis Cameracenſis Canonicus, quē primùm Athrebati, ac demum Romæ (vbi dum hæc ſcribimus moratur) ex ſancta Hierolymorum vrbe reuerſum, de hoc viro ante paucos annos differentem audiui. Floruit autem hic Carthenius apud Belgas circa annos 1570. & 1580. quo tempore etiam Cameraci obijt præſente ibidem pręfato Canonico, ac lugente.

IOANNES CRESTONVS.

IOANNEM CRESTONVM eundem eſſe puto, quem Trithem. in lib. de Script. Carm. Ioannem Placentinum vocat. ea propter benignus Lector eundem ſuo loco infrà

requirat, vbi breui quadam Annotatiuncula opinionem noſtram aperiemus.

IOANNES DVSSELDORPIVS.

IOannes Dvsseldorpivs, natione Teutonicus, Conuentus Maguntinenſis, & Prior Argentinenſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & doctor valdè eruditus, ingenio promptus & clarus eloquio, in declamandis ad populum ſermonibus facundus & multum idoneus, vita & conuerſatione deuotus, & regularis diſciplinæ cuſtos & amator præcipuus, ſcripſit

De obſeruantia dierum feſtornm, lib. 1.

Itinerarium Terræ Sanctæ quã perſonaliter viſitauit, lib. 1.

Sermones varios de tempore & de Sanctis, lib. 2. & complura. Moritur in Conuentu ſuo Argentinen. ſepultus, Anno Domini 1494. Inditione verò 12. Trithemius.

ANNOTATIO.

Extant huius viri nonnulla Opuſcula manuſcripta & typis euulgata. Meminit illius idem Trithem. in Opere de Script. Eccleſiaſt. ſub his verbis: Dicitur, inquit, multa ſcribere, ſed celare. Vidi quoſdam ipſius Tractatus, quorum titulos nunc ad memoriam reuocare non potui. hæc ille.

IOANNES FVST.

IOannes Fvst, Conuentus Crucennacenſis Lector, & poſtea Prior Argentinenſis, natione Teutonicus, ex Comitatu Sphanheimenſi oriundus, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus

dioſus & eruditus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, declamator ſermonum celeberrimus, ſcripſit inter alia

Sermones elegantes de tempore, lib. 2.
De Sanctis quoque, lib. 2.
Sermones per Quadrageſimam, lib. 2.
& alia quæ nos latent. Trithem.

ANNOTATIO.

Teſtatur Trithem. in Opere de Script. Eccleſiaſt. huius viri Sermones extare in Conuentu Crucennacenſi: verùm Trithem. loquitur de tempore ſuę ętatis, nam hoc tempore, vt audio, Prouincię meę Conuentus ille ademptus eſt, nobilibus quibuſdam Lutheranis, expulſis Carmelitis, eundem occupantibus.

IOANNES GAVVER.

IOANNES GAVVER natione Teutonicus, Conuentus Maguntinenſis Lector in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, in declamandis ſermonibus ad populum excellentis ingenii fuit. Scripſit quædam præclara Opuſcula, de quibus repperi ſubiecta.

Super Sententias, lib. 4.
In Exodum, lib. 1.
Vnum Euãgelium ex quatuor, lib. 1.
Sermones de Tempore, lib. 1.
Sermones quoque de Sanctis, lib. 1.
Quadrageſimale, lib. 1.

Cætera quæ compoſuit ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Sigiſmundo Imperatore Anno Domini 1430. Sepultus in Conuentu ſuo Maguntinenſi. Trithem.

In Cathalogo M. Iacobi Seruitę Script. Carmel. vocat hunc Ioannem Cauuer, nimirum prima litera mutata. & aſſerit adhuc floruiſſe anno 1440. Nã doctiſsimus quoque vir Iacobus Philippi Ord. S. Auguſtini in elegantiſsimo ſuo Opere quod Temporum ſupplementum intitulatur eundem egregium Theologiæ Profeſſorem, & ſingularem Concionatorem vocans, ait eximium ſuę eruditionis ſpecimen præbuiſſe, diſputando & arguendo egregiè in Concilio Baſilienſi, & apud omnes clariſsimi Theologi nomen & famam promeruiſſe. Legat ſi cui placet prefatum Opus in geſtis anni 1438. vbi, nullo adiecto cognomine, Ioannes Teutonicus appellatur. Itaque ſeruatur & defenditur lectio Trithemij, ſi diſtinctè legas anno 1430. claruiſſe, non autem obijſſe. Nam ſi ſecus legeris, duos falſitatis argues, aut certè dices annis octo ante Concilium Baſilien. obijſſe, ac tandem in Concilio viuum apparuiſſe.

IOANNES GERBRANDVS.

IOANNES GERBRANDVS de Leydis, vir pius & eruditus, & conuerſatione deuotus, ſcripſit Ordinis Carmelitani hiſtoriarum libros decem. Similiter & Sermones eruditos & pios de Tempore & de Sanctis. Si quæ alia conſcripſit, me latet. neque enim plura recenſentur in Indice aliquot Script. Carm. Reuerend. M. Iacobi Ordinis Seruorum. Vixit, vt ibidem legitur, anno 1495.

IO-

IOANNES GLODESTON.

IOannes Glodeston Anglus, Theologus inſignis & Prædicator egregius, vario ſcribendi genere ingenium ſuum exercuit, talentumque à Deo ſibi conceſſum optimè expendit. Nomina verò ſuarum lucubrationum ſunt hæc ſubiecta:

Quodlibeta varia, lib. 2.
Determinationes Theologiæ, lib. 1.
Quæſtiones ordinariæ, lib. 1.
Diſputationes ſententiarum, lib. 1.
In Euangelium Math. & Ioan. Comment.
Moralitates in Mathæum.
Moralitates in Pſalterium.
In Canonicam Ioannis.
Diuiſiones Sermonum.
Sermones de tempore & Sanctis.
Orationes ad Clerum.
In Magiſtrum Sententiarum, lib. 4.

& alia ne fortè quæ nos latent. Floruit anno 1320. ex Ind. Iac. de Plebe Ord. Seru. quondam Generalis meritiſs.

IOANNES DE GLVEL.

IOannes De Glvel, natione Teutonicus, Prior Conuentus Colonienſis, vir in diuinis Scripturis eruditus, & ſæcularis Philoſophiæ non ignarus, ingenio clarus, vita & conuerſatione deuotus, ſcripſit

Sermones de Tempore, lib. 1.
Sermones de Sanctis, lib. 1.
Sermones per Quadrageſimam, lib. 1.
Volumen de Origine & Profectu Ordinis ſui, quod inſcripſit Speculum Carmelitarum.

Alia quoque nonnulla edidit, quę ad notitiam meam non vene-

venerunt. Claruit in Conuentu ſuo Colonienſi, vbi & ſepultus eſt. Trith. in De Script. Carm. & Script. Eccleſiaſt. vbi additur Speculum Carmelitarum.

IOANNES GOLEIN.

IOANNES GOLEIN, natione Nordtmannus, Prior Rhoſomagenſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſecularibus literis ſufficienter doctus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, ſcripſit non ſpernendæ auctoritatis opuſcula, quibus nomen ſuum ad poſteritatis notitiam cum gloria tranſmiſit, è quibus extant.

Super Sentent. lib. 4.

Super Officio Miſſæ, lib. 1.

Quæſtiones quoq; variæ, &c, vt ferunt, quædam alia. Trith.

IOANNES GRAVERIVS.

IOANNES GRAVERIVS, cuius patriam ignoro, niſi quod ex cognomine, aut Germanum, aut Belgam fuiſſe ſuſpicor, vtut ſit vir fuit eruditus, & in vario diſciplinarum genere ſufficienter inſtructus, vt patet ex lucubrationibus à ſe compoſitis, quæ feruntur ſequentes.

In textum Sententiarum, lib. 4.

In Exodum, lib. 1.

De concordia Euangeliſtarum. Sermones de Tempore, & de Sanctis, & quędam alia. Claruit Concilij Baſilien. temporibus anno 1440. vt habetur in Indice Iac. Ord. Seru.

IOANNES GROSSI.

IOANNES GROSSI, patria Tholoſanus, Prior Ordinis Generalis, doctor diuinarum Scripturarum inſignis,

& læ-

& ſæcularis Philoſophiæ non ignarus, ingenio clarus & promptus eloquio, ſcripſit nonnulla Opuſcula de quibus ſubiecta ſeruntur:

Opuſculum de Ordinis ſui inſtitutione & profectu, quod prænotauit Viridarium, lib. 3.

Sermones quoque & variæ in Scripturis quæſtiones. Moritur ſub Martino Papa V. anno Domini 1424. inditione 2.

IOANNES *Hieroſolymitanus.*

IOANNES Hieroſolymitanæ Eccleſiæ poſt beatum Iacobum Patriarcha quartus & quadrageſimus, primus in ordine narrationis noſtræ collocandus accedit. Erat enim vir conuerſationis integrę atq; ſanctiſsimę, qui viuus & mortuus infinitis fertur claruiſſe miraculis. Hunc Hadrianus Papa primus propter eximiam doctrinam, & vitæ excellentiam de monaſterio Montis Carmeli ſuſtulit, & in Patriarcham præfatæ vrbis ſublimauit. Qui cùm in Scripturis diuinis eſſet peritiſsimus, nonnulla præclara Syntagmata edidit, quibus ingenium ſuum poſteris declarauit, de quibus extat volumen inſigne, De principio & profectu Ordinis Carmelitici liber vnus. Scripſit etiam quaſdam ad Fratres epiſtolas exhortatorias. & quędam alia. Claruit temporibus Hadriani Papę primi, anno Domini Maximi Ieſu Chriſti ſeptingeſimo ſeptuageſimo. Trith. & M. Ant. Sabell. lib. 5.

IOANNES DE *Hildensheim.*

IOANNES de Hildenheim, vrbe Saxoniæ Oriundus, Lector Conuentus ibidem, in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, ſæcularium quoque literarum non ignarus. Philoſo-

loſophus & Poeta inſignis, carmine exercitatus & proſa, decla mator ſermonum ad populum formatiſsimus, ſcripſit non contemnendæ lectionis opuſcula, de quibus feruntur ſubiecta.

Ad Florentium Epiſcopum Monaſterienſem in Vveſtphaliam de Translatione trium Regum in ciuitatem Colonien. lib. 1.

Chronica quoque iucunda & vtilis, lib. 1.

Defenſorium Ordinis ſui, lib. 1.

De fonte vitæ, lib. 1.

De Antichriſto, lib. 1.

Contra Iudæos, lib. 1.

Contra turpia pingentem, lib. 1.

Opus metricum de monſtris in Eccleſia, lib. 1.

Epiſtolarum ad diuerſos, lib. 1.

Sermones de Tempore & de Sanctis, lib. 1.

Alia quoque nonnulla edidit, quę ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Carolo Imp. 4. anno Domini 1370. & varia Carminum compoſuit Epigrammata. Trith.

ANNOTATIO.

Cùm tempore exilij mei Coloniæ agerem, vidi & legi typis impreſſum egregium opus de Translatione corporum Trium Magorum, & quędam alia. Pręterea Trithemius in Opere de Scriptoribus Eccleſiaſt. aſſerit hunc autorem quondam fuiſſe obſequioſiſſimum famulum Reuerendiſsimi atque ſanctiſsimi viri D. Petri Thomaſij totius Ordin. Generalis, cùm in Auinione ſimul viuerent.

IOANNES HORNEBY.

IOANNES Horneby, natione Anglicus, Doctor in Scripturis Sanctis copioſus & eruditus, ingenio ſubtilis, & diſputator quæſtionum acutiſsimus, fertur nonnulla præclara compoſuiſſe opuſcula, quibus venam abundantis ingenij ſui etiam poſteris notificauit, è quibus extat Opus

Defenſorium antiquitatis Ordinis ſui, lib. 1.

Sermones quoque varij.

Pro parto triumpho, lib. 1.

Ordinariæ quæſt. lib.

& quædam alia. Claruit in Gymnaſio Cantabrigienſi, anno Domini 1374. vbi varia compoſuit. Trith. & Iac. de Plebe in Ind. qui addit duos lib. poſtremo loco numeratos.

IOANNES IOLIAHAN.

IOANNES Ioliahan Nordvvallus Anglus, vir valdè eruditus & in Scholaſticis & Philoſophicis ſtudiis apprimè verſatus, & concionator optimus, nonnulla ad Chriſtifidelium vtilitatem compoſuit Opuſcula, è quibus feruntur ſequentia:

Quæſtiones Theologicæ.

Moralitates rerum.

De arte prędicandi.

De Matrimonio.

Iſagoge Metaphyſices.

Flores ex Chryſoſtomo.

Collationes per annum.

Indices in Anſelmum.

& plura alia quæ memoriam noſtram fugiunt, compoſuit. Floruit anno Domini 1348. dies mortis nobis incompertus. Ex indice Iac. Seru.

IOANNES IACOBVS Cherecatus.

IOANNES IACOBVS Cherecatus, Vincentinus, Theologus abſolutiſsimus, vario ſcientiarum genere excultus, Totius Ordinis noſtri Procurator Generalis, qui cùm almę Venetiarum Prouinciæ Prouincialis exiſteret, ac iampridem in diuerſis muniis ac officiis ſumma cum laude ſe geſsiſſet omnium aſſenſu dignus iudicatus eſt, qui inter complures exquiſitos diuerſarum nationum Doctores, in oecumenico Tridentino Concilio congregatos, non poſtremas in diſputando, conſulendo, ac perorando ferre poſſet. Obiit in Domino.

IOANNES MAIERIVS.

IOANNES MAIERIVS à Ghele in Brabantia natus, Conuentus Thenenſis Sacræ Theologiæ Doctor, ex Priore Conuentus Bruxellenſis Prouincialis inferioris Germaniæ, vir doctiſsimus, Græcè & Latinè peritiſsimus, concionator diuini verbi celeberrimus, complura pietatis & eruditionis plena conſcripſit opera, ex quibus duntaxat Thenis vidimus Commentaria ſuper pleraſq; epiſtolas D. Pauli. Sermones tam de Sanctis, quam de Tempore. Quadrageſimale. Super decem Decalogi præcepta. Orationes tam Latinè, quàm Græcè con ſcriptas, & ab eodem in alma Louanienſium Academia habitas. Adeò enim diſertus & eloquens erat in lingua Græca, vt hominem Athenis, non Thenis enutritum dixiſſes. Hic ad Capitulum Generale (quod Placentię annò 1575. celebrabatur) accerſitus, omniū ora in ſe conuertit. tanta inerat homini eloquentia, adeò vt, ſi Grçcè loquebatur, Demoſthenem, Latinè, Ciceronem credidiſſes. Hæc, Italiam ingreſſus, ex com plurium Italorum relatione didici, præſertim admodum Reuerendi M. Nicolai Aurifici, & Ioſephi à Falconibus Prioris Placentini longè digniſsimi, qui hominem pręſentes pręſen-

tem diſſerentem audiuere & videre. paruo tamen tempore poſt Capitulum præfatum ſuperuixit, diemq́ue obiit extremum, Thenis (ni fallor) ſepultus.

IOANNES DE *Malinis*.

IOANNEM de Malinis aſſerit Palendorpius noſter ſcripſiſſe Speculum Hiſtoriale Ordinis noſtri, diſtinctum in decem libros. Subdudito tamen an is idem fuerit cum eo quẽ infrà Ioannem Paſchaſium Mechlinienſem vocamus; vbi verò eo peruentum fuerit, iudicium meum declarabo.

IOANNES MARIA *Verratus*.

IOANNES MARIA Verratus, natione Italus, patria Ferrarienſis, honeſtis parentibus oriundus, annum quartum decimum ætatis agens Sanctam Carmelitarum Religionem ingreſſus, omnem ætatem in honeſtis & eruditis ſtudiis exercuit, euaſitq́ doctiſsimus Theologus, Orator & Philoſophus celeberrimus. In diſputationibus acutus, in Concionibus vehemens, eloquio clarus, conuerſatione affabilis. Præter hæc in perpetuam ſui memoriam clariſsima Orbi ingenii ſui reliquit monumenta, quorum maxima pars vulgo typis excuſa circumferuntur, & in ſex Tomis digeſta ſunt, quemadmodum colligi poteſt ex duobus Indicibus, quorum primum ad nos miſit ſæpius honoris gratia à nobis nominatus R. M. Iacobus de Plebe, eximius Theologus Ord. B. M. Seruorum, alterum verò nuper ex ipſa Ferraria accepi, cura & induſtria Reuer. & pij Patris Adami Vitalis Carmelitæ Ferrarienſis, vbi recenſentur ad verbum hoc pacto:

Tomus primos.

Diſputationes aduerſus Lutheranos.
De Fide & operibus & meritis.
De libero Arbitrio.
De Prædeſtinatione.
De cultu Dei & Sanctorum.
De orando Deum & Sanctos.
De auriculari & Sacramentali Confeſsione.
De Pœnitentię Sacramento.
De Eccleſia & eius authoritate.
De primatu Petri & ſedis Apoſtolicę.
De Euchariſtiæ Sacramento.
De Communione ſub vtraque ſpecie.
De Matrimonij Sacramento.
De Purgatorio.
De Indulgentiis.
De Mendicantibus & Concionatoribus.

Tomus Secundus.

De Incarnatione Verbi Domini, Conſonantia quatuor Euangeliſtarum, cum his quæ acta ſunt erga puerum Ieſum, ipſiusque geſta vſque ad ſermonem Domini in monte peractum.

Tomus Tertius.

Super Sermonem Domini in monte enarrationes in quindecim libros digeſtę, quæ totam Euangelicam legem, miraculis, ſignis, & prodigiis approbatam, pulcherrimè complectuntur, à quinto cap. Mathei vſque ad decimum incluſiuè, aduerſus falſa Lutheranorum dogmata.

Tomus Quartus.

Super Euangeliis ab Aduentu Domini vſque ad Dominicam Reſurrectionis eiuſdem ampliſsima Commentaria.

Tomus Quintus.

Alij egregij Commentarij ſuper omnibus Euangelijs à Dominica Reſurrectionis, vſque ad primam Dominicam Aduentus.

Tomus Sextus.

Opuſcula varia continet, nimirum:

1 De magna vniuerſalis Eccleſiæ CHRISTI auctoritate.
2 De modo viuendi ſecundum ſpiritum, & non ſecundum carnem, & de Chriſtiana militia aduerſus Carnem, Diabolum, & Mundum.
3 De iuſtificatione.
4 De dignitate & excellentia Intellectus, & Voluntatis.
5 De gratia & libero arbitrio.
6 De duplici Purgatorio in hoc ſæculo & in futuro.
7 De ſuffragiis annuis pro legatis Defunctorum.
8 Comentarij ſuper omnibus præceptis, & documentis Catonis.
9 Contra reſponſiones & proteſtationes eorum qui ad generale Concilium venire contemnunt. Hæc omnia typis excuſa ſunt, ſed non eodem ordine, nec Tomorum numero, cùm pleræque editiones plures, aliquæ pauciores Tomos habeant. Plura alia compoſuit vir eruditiſsimus, quæ morte præuentus ad perfectionem perducere non potuit. Magnam partem ſuarum lucubrationum dedicauit Paulo III. Pontif. Max. Ad Concilium Trident. vocatus, haud ire potuit, ætate & infirmitate præpeditus. Moritur tandem anno 1563. Menſis Iulij. Sepultus Ferrariæ. Vitam eius ſcripſit D. Bernardinus Inſularius Vrbinas.

IOANNES MARRE.

IOANNES MARRE, natione Anglicus, Doctor Oxonienſis, in Scripturis Sanctis ſtudioſus & eruditus, ingenio ſubtilis & vehemens, ſcripſit inter alia exercitij ſui Opuſcula, Determinationes contra hæreticos Vvitchleuiſtas lib. 1.

Lecturam Sententiarum, lib. 4.

Tabulam Originalium.

Compendium Originalium.

In Epigramma Martialis.

Alia quoque multa ſcripſiſſe dicitur, ſed ad notitiam meam ad huc non venerunt. Obiit Duncaſtrię anno 1407. Trith.

ANNOTATIO.

Trithemius in Opere de Script. Eccleſiaſt. vocat eundem Ioannem Maronem. Meminit & index Iac. Seru: vbi adduntur quatuor Opera poſtrema, & annus obitus illius, & locus.

IOANNES NOBLETH.

IOANNES NOBLETH, natione Gallus, Conuentus Pariſienſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſecularibus literis egregiè doctus, Philoſophus & Medicus inſignis ſcripſit ingenij ſui quædam præclara Opuſcula, quibus nomen ſuum cum gloria tranſmiſit ad poſteros, de quorum numero ſubiecta feruntur. Super Sentent.

Opus inſigne quod Centilogium prænotauit, lib. 1.

In Euang. Ioannis, lib. 1.

Sermones varij.

In Epiſt. Cano. lib. 7.

In multos quoque alios Bibliæ libros Commentarios, &

Le-

Lecturas compilaſſe dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Ex Trith. & Ind. Iac. Seru. Meminit & Genebrandus in Chron.

IOANNES PASCHASIVS.

IOannes Paschasivs Mechlinienſis Sacræ Theologiæ Doctor inſignis, Diſputator Scholaſticus acutiſsimus, & Concionator egregius, complura eruditiſsima volumina conſcripſit, inter cætera Super Senten. In Euangelia Dominicalia & feſta totius anni. Item Deſcriptionem terræ Sanctæ, quam præſens (vt credo) oculis perluſtrauit. Pleraque, ſi non omnia, huius viri Opera extant typis excuſa. præſertim Terræ Sanc. deſcript. ex qua ſepiſsimè teſtimonia profert, egregius Scriptor noſtri temporis D. Chriſtianus Adrichon in celeberrima illa Terræ Sanctæ, & Vrbis Hieroſolymitanæ deſcriptione quam paulò ante mortem Coloniæ me præſente edidit. Alium hunc ab illo exiſtimo, quem Io. Palendorp. vocat Ioannem de Malinis. Vixit autem & floruit Louanij hic Paſchaſius ætate noſtra, poſt annum 1500. vt colligitur ex Epiſtolis D. Bataui. teſte etiam Ludouico Guicciardino nobili Florentino Scriptore in Deſcriptione ciuitatis Mechlinienſis.



IOANNES PETRVS Chizzola.

IOANNES PETRVS CHIZZOLA, ex Riparoli Cremonenſis territorij oriundus, vir inſigniter eruditus, egregia pietate conſpicuus, morum & vitæ honeſtate clarus, præclara clariſsimi ingenii ſui ſigna dedit cùm aliquot Epiſcoporum Theologus abſolutiſsimus, diſputator ingenioſus ſemper extiterit. Is præter quamplura multæ eruditionis opera tam in Theologicis quam Philoſophicis diſciplinis conſcripta, in le-

gentium vſum & fructum typis euulgauit vitam Italico ſermone à ſe eleganter translatam. B. Ludouici Morbioli Bononien. quondam ab incomparabili noſtro Bapt. Mant. Latinè conſcriptam. Viuit vſque hodie Mantuæ, cuius Conuentus Prioratum gerit ſumma cum laude. Eſt hic Reuerend. P. Gener. Vicarij noſtri corpore & animo germanus Frater.

IOANNES PLACENTINVS.

IOANNES PLACENTINVS, vir vndecunque doctiſsimus, Theologus & Rhetor celeberrimus, ingenio promptus, & diſertus eloquio, Græcæ ac Latinæ linguę peritiſsimus, quippe qui multa eleganter traduxit, fertur complura ſcripſiſſe Opuſcula, quibus nomen ſuum immortalitati conſecrauit, è quibus vidi duntaxat

Vocabularium Græcum, opus profectò vtile & neceſſarium, lib. 1.

Extat eius & aliud volumen minus, vbi Latinum Gręco præponitur, lib. 1.

Ad Ludouicum Donatum Epiſcopum Bergomenſem è Græco Pſalterium de verbo ad verbum propriiſsimè tranſtulit, quod Opus nemo dignè laudare ſufficit, in quo Græcam translationem præmiſit literis Græcis, & ſuam ſubnectit Latinis. Epiſtolas, & plures & elegantes ad diuerſos compoſuit. Alia quoque multa ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Innocentio Papa octauo, & credo eum adhuc viuere. hæc Trith. anno 1492.

ANNOTATIO.

In Superioribus admonui me non abhorrere ab eorum opinione qui aſſerunt hunc Ioannem Placentinum, eundem eſſe, qui ab alijs paſsim vocatur Ioan-

O nes

nes Creſtonus. Eruditiſs. vir M. Iacobus de Pleb. Ord. Seruorum in Indice aliquot Scriptorum Carmelitarum, de hoc ita ſcribit: Ioannes, inquit, Creſtonus Carmelita ſcripſit Lexicon Græcum vulgo notiſsimum Baptiſtæ Mantuani tempore, cuius de hac re epigramma extat ante penultimum libri tertij Syluarum. hæc illè. Cæterum epigramma illud omni eruditione & iucunditate plenum ſic incipit:

Vade Caleſtani viſure cacumina montis.
Vade bono auſpicio, ſed meliore redi, &c.

Vidimus vtrumque Lexicon typis excuſum, & in muſæo meo Bruxellen. authorem habeo impreſſum, qui ex vtroque non rarò citat teſtimonia. Extat apud me epiſtola quædam de hoc viro admodum R. M. Ioſephi à Falconibus, qui aſſerit etiamnum parentes & affines Placentiæ, ſuper eſſe. Pſalterium typis excuſum eſt Mediolani anno 1481. & ſeruatur in Bibliotheca Fratrum Carm. Florentinorum.

IOANNES POLESTEDE.

IOANNES POLESTEDE, cuius patria me latet, vir fuit valdè eruditus, Theologus celebris, & Philoſophus nobilis, vt teſtãtur pleniùs Opera à ſe edita q̃ iter multa extant hæc pauca:

Comentaria Sententiarum, lib. 4.
In Phyſicam Ariſtot. lib. 8.
Conciones per annum.
Indices locupletiſsimi in Auguſtinum.

Obiit anno Domini 1541. vt habetur in Indice Iac. de Plebe.

IOANNES DE REGNO.

IOANNES de Regno natione Gallus, Conuentu Tholoſanus, in Scripturis ſanctis Doctor eruditus, ingenio ſubtilis

tilis, & promptus eloquio, ſcripſit ſuper Senten. lib. 4.
In Euangelium, Math. lib. 1.
Sermones de Tempore, & de Sanctis, lib. 2.
Quadrageſimale quoque, lib. 1.
& quędam alia. Trithem.

IOANNES DE SANCTA FIDE.

IOANNES de Sancta Fide, natione Anglicus, vir eximia pietate & eruditione clariſsimus Carmelitanæ familię decus clariſsimum, clariſsima ſui ingenii reliquit monumenta ex quibus iſta feruntur:
Gloſſemata in Euangelium Ioannis.
Encomion Ioannis.
In Canonicam D. Ioannis.
Collectiones ſcripturarum.
In Euangelium Mathæi.
Tabulam Iuris.
Concordantias Thomæ.
Loca contrarietatum.
Sermones de Tempore & de Sanctis. Claruit Burnchamiæ anno 1359. quo etiam obiit, quemadmodum teſtatur Index Iac. Ord. B. Marię Seruorum.

IOANNES SCANDEBERI.

IOANNES Scandeberi, Epiſcopus Erffordenſis in Anglia, vir in diuinis Scripturis eruditiſsimus, & ſecularium literarum non ignarus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, vita quoque & conuerſatione deuotus, fertur multa pręclara ſcripſiſſe Opuſcula, quibus nomen ſuum longè lateque notificauit, ſed nihil eorum ad notitiam meam perueniſſe memini. Claruit in Anglia ſub Sixto Papa IIII. anno Domini 1480. neſcio ſi adhuc viuat. Hæc Trith. lib. de Script. Carmel.

ANNOTATIO.

Nihil prorſus dubito quin hic vnus & idem ſit quem eruditiſs. vir Iac. de Plebe Ord. Seru. in ſuo Indice Scriptorum Carmelitarum vocat Ioannem Stamberij. eiusq; plurima enumerat Opera ab eodem conſcripta. Lectori tamen integrum relinquo ſentire & iudicare. Verba Indicis dicti Reuer. P. Iac. ſunt iſta:

Ioannes Stambery Carmelita, Magiſter Oxonienſis, Bangonenſis Epiſcopus, ac Heresfordenſis Præſul ſcripſit

Lecturam Sententiarum.
De laboris vniuerſi præmio.
De Symbolo Fidei.
De dote Eccleſiæ.
De vigore Decretorum.
De ſanctionibus Eccleſiaſticis.
De poteſtate Pontificia.
De diſcrimine iuriſdictionum.
De Prærogatiua Eccleſiaſtica.
De vigore Scripturę Sacræ.
De caſu & fortuna.
De vario Scripturæ ſenſu.
De fato & fortuitu.
De regimine celebrantium.
De quatuor minimis.
De viſitatione infirmorum.
De cura pro mortuis agenda.

De

De laude Charitatis.
De diſciplina Chriſtiana.
In Auguſtini Confeſſionale.
In eundem ſuper Ioannem.
In eundem de Doctrina Chriſtiana.
In Enchiridion eiuſdem.
Sermones multos, & alia.

hæc ibi. Oritur tamen noua dubitatio & ſcrupulus, quòd ibidem addatur mortem obiiſſe 1464. cùm tamen Trithem. loco iam citato crediderit adhuc vixiſſe annò 1492. cùm Opus De Script. Carm. conderet. Suſpicor errorem eſſe in numero annorum, niſi quis ex vno faciat duos, ita vt dicamus alterum eorum fuiſſe Epiſcopum Bangonenſem, alterum verò Heresfordenſem. & vt vni nomen fuerit Io. Stamberius, alteri Io. Scandeberius, quod tamen mihi non eſt uerìſimile.

IOANNES
Schoonhouen.

IOANNES Schoonhouius natione Teutonicus, Prior Conuentus Mechlinienſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & longa exercitatione doctus, ingenio ſubtilis & promptus eloquio, in declamandis ad populum ſermonibus excellentis ingenij. Scripſit notabile opus in duobus voluminibus ſecundum ordinem Alphabeti, quod prænotauit Polipodion, Prędicatoribus verbi Dei valde accommodum, lib. 2.
Sermones quoque de Tempore & de Sanctis varios edidit, & quædam alia. Trithem.

IO-

IOANNES
Sonneman.

IOANNES Sonneman, vir eruditione clariſsimus, eloquio facundus, & conuerſatione gratus, ſcripſit:
De decem Præceptis, lib. 1.
De ſuperſtitionibus, lib. 1.
De contractibus, lib. 1.
Caſus contra re emptionem cenſuum, lib. 1.
Sermones de tempore & de Sanctis, lib. 2.
& alia nonnulla. Claruit anno 1460. Index Iac.

IOANNES SORETH
Generalis.

IOANNES Soreth, natione Nordmannus, Prior totius Ordinis Generalis, vir in diuinis Scripturis doctus, & eruditus, ingenio ſubtilis, ſermone compoſitus, vita & conuerſatione deuotus atque ſanctiſsimus, maximus & feruentiſſimus ſui Ordinis reformator. pro cuius inſtitutione & multos & duros labores patientiſsimè tulit: ſcripſit quædam præclara volumina, quibus venam ingenij ſui etiam poſteris notificauit, è quibus ſubiecta ſeruntur:
Super Senten. lib. 4.
Sermones varij, lib. 1.
In Regulam Ordinis ſui duplex commentum edidit, lib. 2.
Conſtitutiones quoq; eiuſdem Ordinis comportauit. Moritur Andegauis ſub Friderico Imp. 3. & Sixto Papa 4. Anno Domini 1471. Inditione quarta, octauo Kalendis Auguſti, multis quotidie miraculis coruſcans. Hæc omnia Trithem. quibus conſonant ea quæ de eodem ſcribit R. & eruditus Iacobus Philippi Ord. S. Aug. in ſuo Supplem. fol. 327. & plures alij, vt pleniùs diximus in Commentario noſtro Carmelitico.

Ioannes Stamberi. *Vide ſupra Io. Scandeberi.*



IOANNES STEPHANVS Chizzola.

IOANNES STEPHANVS CHIZZOLA Conuentus Cremonenſis, Riparoli inſignis Cremonenſis territorij Oppido natus, Sacræ Theologiæ Doctor eximius, ac in defuncti nuper Ioannis Baptiſtæ Caffardi, f. r. locum totius Ordinis Carmelitarum Vicarius Apoſtolicus. vir exquiſita eruditione præditus, moribus placidiſsimis, vita & conuerſatione cunctis non ſolùm venerabilis, verùm & amabilis, laboris patientiſsimus, vt res ipſa ſuperioribus annis docuit. Etenim Annò

1588

1588.die 2.menſis Auguſti,à Sixto Quinto Pont.Max.prouinciarum Galliæ,vtriuſque Alemaniæ, Poloniæ, Angliæ, Scotiæ, & Hyberniꝗ Ordinis Commiſſarius conſtitutus,maxima cordis animique conſtantia totam ferè Galliam peragrauit, Spartamque ſibi commiſſam egregiè adminiſtrauit, idem & in alias prouincias facturus, ſi ob horum temporum calamitates integrum fuiſſet. Præter eruditiſſimas in Sententiarum libros Lecturas & in Philoſophicis diſciplinis enarrationes,per Quadrageſimam Conciones, & alia quamplurima quæ antequam tali honore afficeretur & dignitatis onere prememeretur, conſcripſit, etiam Gallias ingreſſus magnam curam adhibuit vt Breuiarium primùm Romæ excuſum, ſimiliter & in Franciam denuo imprimeretur, & ea ſimiliter quæ addenda vel mutanda forent, adderentur & mutarentur; quæ omnia nitiidſsimis typis Gallicis excuſa, Ampliſsimoq; nomini ſuo à viris grauiſsimis inſcripta & dedicata vidimus; ſimiliter etiam magnoperè laborauit vt excuderetur ſecundus Tomus doctiſsimi viri Thomæ Beaulxamis Carmelitę, de Harmonia Euangelica,quem vir ille morte præuentus typis tradere non potuit. Viuit vſque hodie Deumque ter Opt.Max.rogamus vt concedat illis annos Neſtoreos.

IOANNES TACESFALE.

IOANNES Tacesfale, natione Anglicus, Conuentus Noruicenſis, vir doctus, & in Scripturis Sanctis atque in Iure & Philoſophia multum eruditus, & omnium ſuo tempore celeberrimus,ingenio promptus,& ad declamandos ſermones ad populum idoneus,ſcripſit

Super Sentent. lib. 4.

In Apocalypſim lecturam notabilem,lib. 1.

Sermones quoque varios ad populum. Alia inſuper nonnulla edidit, quę ad notitiam meam non venerunt. Miſſus tandem Romam ibidem mortuus eſt. Trith. in vtroq; Opere.

AN-

ANNOTATIO

In De Script. Eccleſ. ait claruiſſe in Conuentu Noruicen. & ibidem ſepultum in pace quieſcere. Vtrum autem hic is fuit cuius mentio fit in Epiſtola Martini Quinti Pont. ad Thom. Vualden. qui Romam Vualden. libros Pontifici exhibuit, alibi examinabitur.

IOANNES TOMSON.

IOANNES Tomſon Anglus, vir Doctus & eruditus, in humanis atque diuinis literis optime verſatus, vita & moribus conſpicuus ad communem legentium vtilitatem conſcripſit nonnulla opuſcula, inter quæ feruntur ſubiecta:

Lecturam Sententiarum, lib. 4.
Moralitates Scripturæ.
In Eccleſiaſticum.
Poſtillationes in Ioannem.
Sermones de Tempore & Sanctis.
Quadrageſimale.
Conciones ad Clerum.
De mirabilibus mundi.
Abbreuiationes Doctorum. & alia Claruit apud Vrigornienſes anno 1380. vt teſtatur Index Iac. Ser.

IANNES TYLNEII.

IOANNES Tylneij Norduicenſis vir probatæ & exquiſitæ eruditionis, Concionator apud ſuos, celeberrimus, & in diuinis literis valde ſtudioſus ſcripſit non contemnendæ lectionis Opuſcula, nimirum Poſtillam in Apocal. Ioan. Com

pendium Sententiarum, & alia quę nos latent. Vixit anno 1430. Index. Iacobi Ord. Seru.

IOANNES TYTLESHALE.

IOANNES Tytleshale Nordouicenſis, vir egregiè doctus & eruditus; & Concionator celebris, ſcripſit in Magiſtrum Sentent. lib. 4.

In Apocal. Ioann.

Sermones de Tempore, & Sanctis, & alia nonnulla. Vixit anno 1534. vt colligitur ex memorato ſæpius Indice D. Iacobi de Plebe Ord. B. M. Seruorum.

IOANNES DE VINETA ET IOANNES VORETAM

Inter eruditos Carmelitanæ Rellig. Scriptores nominantur, quorum prior à noſtro Palendorpio Carmelita in ſui Operis Epiſtola, dicitur Chronicon noſtræ Religionis ſcripſiſſe quod incipit: Cùm quidam fratres noſtri Ordinis &c. Poſterior verò inter illuſtres Carmelitas Scriptores numeratur à doctiſs. viro Sixto Senenſi Ord. Prędicatorum; aſſeritque vixiſſe anno 1406. quæ verò ſcripſerit, ſunt illa.

In textum Sententiarum, lib. 4.

In Cant. Cantic. Sermones de Tempore, & Sanctis.

Quadrageſimale.

Sermones duodecim de B. M. Virgine, vt teſtatur Iac. in Indice, qui vocat eum (& meo iudicio bene) Io. Vrotham, dicitque floruiſſe anno 1407.

IOANNES VVALSINGAM.

IOANNES Vvalſingam Prior Prouincialis Angliæ, vir in diuinis Scripturis Doctiſsimus, Philoſophus acutus, & ſacræ Theologiæ Doctor Pariſienſis, ſcripſit notabiliter

Super Sentent. lib. 4.

Quæſtiones varias & Quotlibeta.

Alia quoque nonnulla compoſuit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Benedicto Papa duodecimo. Anno Domini 1340. Trithem.

ANNOTATIO.

Meminit ſimiliter Trithem. in Opere de Scriptor. Eccleſ. hiſce verbis: In Gymnaſio, inquit, Pariſien. magiſtrali infula decoratus, legendo & diſputando celeberrimus effulſit. hęc ille. Nec illud prætereundum variè legi huius viri cognomen, nonnulla enim exemplaria habent Vualgram, nonnulla Vualſergram, nos editionem Antuerpienſem ſecuti, repoſuimus Vualſingam.

IOANNES VVIRICI.

IOANNES Vvirici de Nuſsia, natione Teutonicus, Conuentus Colonienſis, Prior Prouincialis inferioris Alemaniæ, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſæculari Philoſophia egregiè doctus, ingenio promptus, & clarus eloquio, diuini verbi Prædicator famoſus, fertur ab hiis qui eum nouerunt ſcripſiſſe Super Sententias, Lib. 4. Sermones & Collationes varias, quæ ſuo tempore prodibunt in lu-

IOSEPHVS A
Falconibus.

IOSEPHVS à Falconibus Prior Placentinus Prouinciæ Lombardiæ, Sacræ Theologiæ Profeſſor eximius, eloquio preſtans & clarus. ſæpius in publicis muniis & officiis conſtitutus, optimè ſe geſsit, laudemque reportauit. Dum apud Placentinos anno 1589. Romam profecturus, ob æſtiuos calores, eius humanitate morarer, magnam profectò ex illius alloquio voluptatem cepi, ſæpiusque dixi omnibus modis mihi placidam Placentiam placuiſſe. Ex quorundam fratrum relatione (præter experientiam) intellexi virum eſſe ſemperque fuiſſe ſtudioſiſsimum, & in laboribus literariis aſsiduum. quadam vice muſæum eius ingreſſus, magnum aceruum librorum ab eodem conſcriptorum deprehendi, inter quos erat eximium quoddam & iuſtæ magnitudinis Opus cui titulus Cronica Carmelitana. Sermones per Quadrag. aliique tractatus elegantiſsimi. quæ omnia ſuo tempore in lucem emiſſurum confidimus. Viuit vſque hodie dum hæc ſcribimus anno 1592.

LACTANTIVS
Domaninus,

LACTANTIVS Domaninus Mantuanus, Sacræ Theologiæ Doctor egregius, Rethor & Orator celebris, Concionator, Muſicus ſuauiſsimus, in omni penè ſciẽtiarũ genere fœliciſsimè verſatus, bis Cõg. Mant. Vicarius Generalis ſolertiſsimus, Sixto Quinto ſr. Pont. Max. notus & gratus, ob oculos habens Platonis illud, Neminem ſibi ſoli natum, in commu-

nem

nem Eccleſiæ vtilitatem, & Religionis noſtræ honorem, inſigne quoddam planeque immortalitate dignum Opus conſcripſit, intitulatum De prouidentia Dei in duos tomos diuiſum, in quorum primo agitur de Contingentia, Neceſsitate, Caſu, atque Fortuna. & hęc in primo libro. In ſecundo eiuſdem Tomi primi agitur de Scientia Dei. In tertio de Sapientia humana. In quarto de Libero hominis arbitrio, atque diuina gratia. & hæc in primo Tomo. In ſecundo de Creatione agitur, rerumque diſpoſitione, & de Ideis & eſt quintus liber in ordine totius Operis. In ſexto de Diuina prouidentia & Fato, in ſeptimo de Prędeſtinatione, in octauo de Reprobatione. Horum primus Tomus typis excuſus eſt, alter verò adhuc ſub Prælo eſt. Quæ verò doctiſsimus vir adhuc premit & limat ſunt hæc ſubiecta: In 3. Theologicarum ſententiarum. In proemio Phyſicorum & Methaphyſicorum Ariſt. Quæſtionem de primo cognito. De immortalitate animæ in via Ariſtotelis. De fine hominis. In proemium primę partis D. Thomæ. In epiſtolam Sybillæ, ad inſtantiam Sereniſs. Domini Vincentij Gonzagæ Mantuæ & Montisferrati Ducis inclyti. Orationes denique varias conſcripſit & habuit. Nihil dicam quanta omnium admiratione ſummaque cum laude anno 1573. in Ciuitate Regij nondum annum egreſſus 33. publicè ſuper omnium Liberalium artium facultatibus diſputarit, deque Sacroſancta Theologia, vtraque, hoc eſt, tum Naturali tum diuina Philoſophia, & Lege Canonica egregie diſſeruerit, Concluſionesque (vt vulgo dicimus) ſuſtinuerit. Viuit adhuc Mantuæ, plura indies conſcribens, & talentum ſibi à Deo collatum piè exercens.

LAVRENTIVS Burellus.

LAVRENTIVS Burellus Diuionenſis, vir in diuinis Scripturis eruditus, & in ſæcularibus literis egregiè doctus, ingenio excellens & clarus eloquio, metro exercitatus & pro-

ſa. Scripſit vtroque genere præclara quædam volumina, quibus nomen ſuum notificauit:

Opus celeberrimum in laudem Eliæ Patriarchę Carmelitarum, quod prænotauit Eliaden, lib. 1.

De illuſtribus viris ſui Ordinis, lib. 1.

& alia complura. Floruit anno 1494. tempore Maximil. Imperatoris, & Alexand. VI. Pontif. Trithem. in Opere De Scriptorib. Eccleſ. iam quartò ab eodem recognito & augmentato, quod extat in ſuperius nominata nobiliſsima Bibliotheca Sancti Marci Florentiæ in Conuent. Fratrum Prędicatorum.

LAVRENTIVS Cuperus.

LAVRENTIVS Cuperus Gerardimontenſis, Sacræ Theologiæ Licentiatus eximius, Grecę & Latinè doctiſsimus nec Hebraicè ignarus, ex Priore Conuentus mei Bruxellenſis Prouincialis inferioris Alemaniæ, Concionator celeberrimus, Reuerendiſs. Domini Io. Vendeuille Epiſcopi Tornacenſium Theologus & Conſiliarius intimus, complura in lucem edidit Opuſcula, quæ partim typis tradita, ſtudioſorum teruntur manibus, inter quæ vidimus

Sermones 24. de Quatuor nouiſsimis.

Paracleſim ad Christianam militiam.

Opera omnia, quæ modò extant, diuini noſtri Baptiſtæ Mantuani Generalis Ord. recognouit & elegantiſsimis typis Belgicis excudi curauit, E Gallica (natione tamen Flander) in Latinam linguam tranſtulit Opus cui titulus Theatrum Mundi, ſiue de miſeria humanæ conditionis. Huic nuper adiecit eiuſdē argumenti Opuſculum de Dignitate hominis.

Multa diuerſi generis Epigrammata condidit Sequentia neſcio an excuſa.

In librum Heſter Comment.

In

Præterea in obeundis publicis muneribus, quàm ſedulus & diligens fuerit, omnibus perſpicuum eſt. Etenim Venetorum Prouincia Prouincialem experta eſt vigilantiſsimum; Totus Carmeli Ordo Procuratorem Generalem annis ſuperioribus expertus eſt humaniſsimum; alma Romanorum Sapientia Profeſſorem eruditiſsimum; Illuſtriſsimus Dominus Cardinalis Nicolaus Sfondratus (qui poſtmodum, Pontifex factus, Gregorius Decimusquartus vocatus fuit, à quo & noſter Lauretus Epiſcopatus officij inſulam ſuſcepit) per multos annos Theologum abſolutiſsimum, & intimum Conſiliarium habuit. Denique Concilium Tridentinum tanquam ſummæ integritatis & eruditionis virum ſuſpexit & coluit. Conſcripſit hic doctiſsimus vir complura excellentis ingenij Opera, quibus egregiè eruditionis ſuæ venam demonſtrauit, quę à nobis in duas claſſes diſtribuentur, vt ſacra à prophanis diſcernantur: Primò itaque dum iunior eſſet ſcripſit.

Super totam Artem veterem.
In Priora Ariſtotelis.
In primum Phiſicorum Ariſt. lib. 1.
In ſecundum Phiſicorum.
In tertium Phiſicorum.
In quartum Phiſicorum.
In quintum Phiſicorum.
In octauum Phiſicuorum.
In primum Metaphyſices Ariſt.
In ſecundum Metaph.
In quartum eiuſdem.
In quintum eiuſdem.
In ſeptimum eiuſdem.
In octauum eiuſdem.
In duodecimum Metaphyſic. dum Romæ publicè ſumma cum laude, atque omnium admiratione profiteretur ſub Sixto Quinto Pont. Max. vt hiſce oculis vidi & auribus hauſi.

Prçterea in rebus Theologicis complura eruditè conſcripſit.
In ſecundum Sententiarum.

In quartum Sententiarum.

In Epiſtolam D. Pauli ad Romanos, &

In Epiſtolam eiuſdem ad Galatas dum eſſet in Concilio Tridentino, ſub Pio Quarto.

Cenſuram in Opera Septimii Tertulliani, iuſſu Pii Quinti Pontif.

Apologiam pro Antonio Mario Pro epiſcopo Cremonen. aduerſus calumniatorem

Tractatum de Contractibus.

Tractatum de Cenſuris Eccleſiaſticis.

Orationes habitas in Concilio Tridentino.

Orationes habitas Romæ coram Pontificibus Pio Quarto, & Sixto Quinto, & Cardinalium conſeſſu.

Multa & arguta Conſulta ſeu Reſponſa ad diuerſorum Principum & Magnatum quæſita.

Scolia in Sicardum Cremonenſem Epiſcopum, ad præfatum Illuſtriſ. Nicolaum Sfondratum Card. & Archiepiſcop. Cremonen. poſtea Rom. Pont.

Multos denique & varios, variiſque temporibus congruentes Sermones, & Collationes, alioſq; pios, & eruditionis plenos: Tractatus conſcripſiſſe pro comperto habeo, quorum tamen titulos & nomina ſcire non potui, ea via qua præfata, licet pauca ex multis, congeſſi. Viuit vſque hodie ſexagenarius, vnicum Epiſcoporum decus, & ornamentum.

LEO A SANGALLETTIS.

LEO à Sangallettis, Florentinus, ſacræ Theologiæ Doctor, non minus morum pietate, quam eruditionis laude cunctis per Etruriã Carmelitanæ familię viris notus, in diuerſis Italiæ locis (vbi non rarò Prioratus & Prouincialatus honore & officio functus eſt) eximium ſuæ modeſtiæ, probitatis, atque ſynceritatis exemplũ præbuit: Nouiſſimè verò in Florentino

tino ſuo Conuentu conſtitutus Prior, pręter vitæ honeſtatem, & ſuorum ſolertem curam, etiam ob indefeſſam in piis ſtudiis diligentiam, eruditi viri laudem meretur. Etenim tanta animi alacritate, & inexhauſto ſtudio conſcribit, colligit, & coaceruat, & coaceruata in aperto ſuorum ſubditorum Collegio ſeu conuentu quotidie enarrat optima quædam, ac omnimodè neceſſaria documenta his quibus Caſuum conſcientiæ ſtudium cordi eſt, ſuo tempore (vt ſperamus) eadem typis euulgaturus, & in communem vtilitatem exhibiturus.

LVCRETIVS
Tiraboſcus.

LVCRETIVS Tiraboſcus Aſolanus, Conuentus Mant. Sacræ Theologiæ Profeſſor eximius, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ linguæ peritus; Cæterum quanti iudicij, & eruditionis extiteris, declarant non ſolùm Opera partim typis euulgata nimirum ſuper Pſalmos, & partim (ni morte præuentus fuiſſet) euulganda; nimirum ſuper Apocalypſim erudiſiſima Commentaria quæ etiamnum Mantuæ aſſeruantur, & alia quamplura, verùmetiam quòd ipſe Reuerendiſſimus Venetorum Patriarcha eundem ſibi in Theologum aſſumeret, ſecumque ad Concilium Tridentinum duceret. Porrò quemadmodum hunc doctiſsimum virum obiiſſe conſtat, ita annus obitus illius me fugit.

MARTINVS Italus.

MARTINVS ITALVS, vir doctus & eruditus, eloquens, & diſertus; inſignem quandam & eruditionis plenam Orationem habuiſſe & conſcripſiſſe fertur de Titulo, Sanctis, & Doctoribus Ordinis noſtri. Reliqua verò quæ compoſuit, aut conſcripſit ad notitiam meam nondum venerunt. Eius mentionem facit Palendorpius, aut (vt Italis placet) Paleonydorus in Epiſtolà operis ſui de Antiquitate Ordinis Carm.

MENALDVS DE Roſarijs.

MENALDVS de Roſariis, Burdegalenſis, Sacræ Theologiæ Doctor Pariſienſis inſignis, Prouinciæ Vaſconiæ Prouincialis meritiſsimus, vir in omni ſcientiarum genere, præſertim in vtroque Iure, optimè verſatus, inter complura quæ ſcripſiſſe reor, vidi duntaxat inſigne Opus in tres libros diſtinctum, cui titulus De Pœnitentiis & Remiſsionibus. Item luculentem quandam Expoſitionem Decretalis, Omnis vtriuſque ſexus. Sripſit & egregium quoddam Quadrageſimale; quod an typis excuſum ſit, neſcio. Obiit Burdegalis, magno omnium eruditorum, atque adeò totius plebis luctu, ante annos Domini 1513. vt patet ex Epiſtolis dedicatorijs, præfatis Operibus pręfixis.

AN-

ANNOTATIO.

Opus de Pœnitentijs & Remiſs. ſimiliter & Expoſit. Decret. excuſum eſt Pariſiis anno 1513. opera & induſtria R. P. Georgij de Lapiſcida Carm. qui illud (de Pœnit. & Remiſs. duntaxat) dedicauit R. P. M. Ioanni de Monte-Regali Carm. & Doctori Pariſien. ad quem inter cætera ſic ſcribit dictus Georgius: Quorſum hęc? vt intelligas me magna admiratione affici, cùm mores Reuerendi in Chriſto Patris (pię memoriæ) fratris Menaldi de Roſarijs noſtrę Prouinciæ Vaſconiæ quondam Prouincialis meritiſsimi animo repeto, &c. Et poſt pauca: vtinam, inquit, Quadrageſimale illud Opus impreſsioni iam datum foret; in illo enim facilè oſtenditur, qualis in Verbi Diuini declamatione, & quàm eruditus in omnī ſcientiarum genere extiterit. hæc ille. Aſſerit ſimiliter ibidem, eum in diuerſis Mundi partibus, præſertim Burdegallis, Pariſiis, Romę, Papiæ, & alibi egregium ſuę doctrinę ſpecimen diſputando, legendo, & prędicando dediſſe. Cæterum Expoſitionem Decretalis, ſumma cum laude & omnium admiratione Burdegallis in Doctorū conſeſſu publicè recitauit anno Domini 1495. die 2. Aprilis. Seruantur prefata Opera in ſacro quodam Virginum Monaſterio dicto San Gagio, in ſuburbio Florentino, mihiq; videndum exhibitum humanitate RR. PP. Adami Vitalis, & Io. Bapt. Bottoni Carmelit. Ferrar.

MATHIAS FARINATOR.

MATHIAS Farinator Viennenſis Germanus, vir inſigniter eruditus, author habetur libri cuiuſdam (ſic enim de eo ſcripſit M. Iacob. de Plebe Ord. Seru. in Ind.) cui titulus Liber Moralitatum, lumen animæ dictus, in ſeptuaginta titulos diuiſus, ex Sanctorum Doctorum, Philoſophorum, Poetarum etiam, ac Oratorum authoritatibus ſecundum ordinem Alphabeti collectus. hæc Iac. additque: Videtur, inquit, hic non author libri eſſe, ſed ſolùm in titulos diſtinxiſſe. Tomi ſunt duo impreſſi anno 1477. Hæc ibi.

MICHAEL DE Bononia.

MICHAEL de Bononia, natione Italus, Prior Generalis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, & ſæcularium literarum non ignarus, ingenio clarus & diſertus eloquio, ſcripſit multa præclara Opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus ſubiecta feruntur:

Super Sententias, lib. 4.
Tabule Sententiarum, lib. 1.
In totum Pſalterium opus grande, lib. 1.
In Euangelium Matthæi, lib. 1.
In Euangelium Luce, lib. 1.
Tabula moralium Gregorij Papæ in Iob. lib. 1.
Tabula ſuper Decreto, lib. 1.
Quæſtiones Sententiarum, lib. 1.
De Puriſſima Conceptione B.M. ſemper Virg. lib. 1.
Sermones varii, lib. 1.
Quadrageſimale notabile, lib. 1.
In multos etiam libros Ariſtotelis commentatus eſt.
In Valerium quoque Maximum.
In Philoſophia, in Iure Canonico, & in Oratoria ſimiliter

ter varia ſcripſit, & multa alia quæ ad me non venerunt. Moritur Bononiæ, ante ſummum Altare ſui Conuentus ſepultus Anno Domini 1416. Kalend. Decembris. Trithem.

ANNOTATIO.

De hoc viro eruditiſsimo non pœnitendà legenda dedimus in Commentario noſtro Carmelitico. Quod autem ad rem literariam attinet, plurimi ſcriptores alienę profeſsionis perquam honorificam illius mentionem faciunt. In Indice Iac. Ord. B. M. Seru. & alibi dicitur illi cognomen fuiſſe Angrianus. Præterea addit Iacobus, Opus illud inſigne (ſic enim habent verba eius) de Concept. B. Mar. dedicatum fuiſſe illuſtriſs. D. Cardinali Sanctæ Marię Tranſtyberim. Prętera affirmat illum ante mortem incœpiſſe nobiliſſimum quoddam Dictionarium, illudq́; perduxiſſe vſque ad literam C. incluſiuè, ſed morte prauentum haudquaquam potuiſſe abſoluere. Quòd autem ad Generalatus officium attinet, legenda, aut potius ad memoriam reuocanda ſunt illa, quę ſuprà in Reuerendiſs. P. M. Bernardi Olenſis Elogio diximus. Admodum Reuerendus M. Nicolaus Aurificus ſuis ad me literis ſignificauit reperiri Senis libellum quendam manu-ſcriptum in quo tota Seruatoris noſtri Paſsio diligenter expenditur.

MICHAEL HERBRANDT.

MICHAEL Herbrandt, de Duren, natione Teutonicus, Prior Conuentus Crucennacenſis, vir in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, & multarum rerum experientia clarus, ingenio præſtans, & Verbi diuini prædicator egregius, ſcripſit quædam non ſpernendæ lectionis Opuſcula quibus nomen ſuum poſteris notificauit, è quibus extant:

Sermones & plures & notabiles, lib. 1.

Collationes quoque multæ & variç in Capitulis & Synodis habitæ, lib. 1.

Cætera quæ compoſuit ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Ruperto Bauaro rege Romanorum, Anno Domini 1410. Trith.

NICOLAVS DE Aſſentia.

NICOLAVS de Aſſentia, vir eruditiſſimus, multarum rerum peritus, eloquio & conuerſatione candidus, Deo gratus & hominibus, inter præclara præclari ingenii ſui monumenta, ſubiecta feruntur.

Commentaria in Exodum.

In Apocal. Ioan.

In Officium Miſſç.

Sermones de tempore & Sanctis.

& quædam alia, quæ nos latent. Vixit & floruit anno 1455. referente Iac. Ord. Seru. in Ind. Script. Carm.

N I C O L A V S
Audeth.

NICOLAVS Audeth, natione Cyprius, totius Ordinis noſtri per annos plus minus quadraginta Generalis vigilantiſſimus, vir Græcè pariter, & Latinè eruditiſſimus, Theologus celeberrimus, vita & conuerſatione cunctis venerabilis. Multa, ab his qui eum viderunt, Scripſiſſe fertur in Magiſtrum Sententiarum, Concibnes, Orationes. Vidimus noſtro tempore Miſſale, & Ordinale ſuo nutu, elegantiſſimis typis excuſum. Moritur anno Domini 1562. die 7. Decembris. vt legitur in Necrolog. Carmi. Florent. plura de eo in Commentar. Carm. diximus.

N I C O L A V S
Aurificus.

NICOLAVS AVRIFICVS Bonfilius Senenſis Sacræ Theologiæ Profeſſor eximius, in diuinis humaniſque ſtudiis feliciter verſatus, in publicis ſuę Prouincię muniis & officiis obeundis ſedulus, & concionator inſignis, Plurima tum Latinè, tum Italicè in communem Eccleſiæ vtilitatem conſcripſit volumina, quibus memoriam poſteris, præſentibus commodum reliquit, inter quæ extant ſubiecta partim typis excuſa, partim adhuc ſcrinneis incluſa, ſuo tempore in lucem proditura. Typis impreſſa ſunt hæc.

De dignitate, Vita, & Moribus Clericorum, quod adiunxit Examini Ordinandorum ab ipſo ex diuerſis authoribus coadunatum. Excuſum Venetiis anno 1567. & alias alibi.

De antiquitate, Veritate & Dignitate Miſſę, additum Speculo Miſſæ ex multis Patribus ab eo congeſtis. Editum Venetiis anno 1572. ac Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo D. Cardinali Guidoni Ferrerio Vercellenſi dicatum.

Tractatum de Paſsione Domini. Italicè. Excuſus Venetiis 1567.

Sylua Orationum ex SS. Patribus excuſ. Ven. 1569. & Mediolani & alibi.
Speculum Monialium Italicè. Florentiæ 1591.
Flores Orationum ex Ludouico Granatenſi. Venet. excuſ. anno 1573.
Tomi octo Meditationum ex SS. Patribus Ital. quorum tres excuſi ſunt Venet. anno 1582. Reliqui adhuc hærent inter manus typographi.
Laudes Montis Caluariæ. Italicè Venet. 1568.
Nouum Examen Ordinandorum Latinè, excuſ. Florentiæ anno 1586.
Tabula præparatoria Miſſę cum vtilitatibus ex SS. Patribus collectis excuſa Florentiæ anno 1591.
Summarium Indulgentiarum, & gratiarum, Confratrum & Sororum Ordinis Carmelitarum: excuſ. Florent. 1591.
Hæc omnia (vt dixi) typis euulgata extant, & magno cum fructu ſtudioſorum manibus teruntur: Verùm ſi ea quæ adhuc premit, polit, ac recognoſcit in lucem ederentur, non dubium quin magnam Eccleſiæ Chriſtianæ vtilitatem, & candidis Lectoribus voluptatem ſint allatura quorum tituli ſunt infraſcripti.
Inſtitutio Mercatorum; opus profectò laudabile in quo de Cambijs, atque contractibus dilucidè tractatur. Italicè.
De Velamine mulierum, quem libellum annis ſuperioribus (vt vidi) videndum tranſmiſit Illuſtriſs. Reuerendiſſimoq; D. Cardinali Paleotto, à quo & lectus & laudatus fuit. Latinè conſcriptus.
Speculum Epiſcoporum. Latinè.
Examen Confeſſariorum. Latinè.
Super quartum Sententiarum Lectiones quas anno 1575. & 76. Placentiæ apud Patres Benedictinos habuit. Lat.
Expoſitiones Euangeliorum Quadrag. Latinè.
Index S. Scripturæ cum expoſitione SS. Patrum. opus profectò egregium nec minus laboris, quàm vtilitatis plenum. Lat.
Inſtitutio Carmelitica, vbi dialogiſticè ordinis Regula exponitur.

ponitur. Latinè.
Vita D.Eliſei Carmelitarum ducis ſecundi. Latinè.
Hiſtoriam verò Carmeliticam, quàm modo præ manibus habet, nemo ſatis dignè laudare poterit. Opus eſt enim varium, eruditum, optimoque Ordine digeſtum. de quo tamen ſecurius iudicare quilibet poterit, poſtquam illud breui (vti ſperamus) Herculeis laboribus ad vmbelicum perduxerit, præloque commiſerit.
Opera verò in quibus emendandis, aut recognoſcendis non parum ſudauit, ſunt hęc.
Opera eximij Theologi noſtri Thomæ Vvaldenſis Scriptoris Anglici, de quo infrà ſuo loco. Quid hac in re vir ille præſtiterit, facilè iudicabit prudens Lector qui vetera exemplaria cum nouis contulerit,
Opera etiàm Spiritualia Ludouici Granatæ Ord. Prædic.
Opera D.Antonij Mondegnoti, vbi nomen illius legitur. Viuit adhuc Senis ſexagenarius dum hæc ſcribimus (1592) nullumque tempus abſq; lectione abire permittit.

NICOLAVS Cantilepus.

NICOLAVS Cantilepus Britannus, Theologus celebris, varia & exquiſita eruditione præditus, nonnulla dum viueret eruditionis ſuę exempla reliquit, inter quæ feruntur
In primum Sententiarum.
Encomion ſui Ordinis.
Annalium Epitome.
Additiones Chronicorum.
Hiſtoria Cantabrigica. & alia nonnulla. Claruit anno 1441. quo etiam obiit, vt habetur in Indice Iac. Ord. Seru.

NICOLAVS DORMH.

NICOLAVS Dormh, natione Anglicus, Doctor Oxonienſis, in Scripturis Sanctis eruditus, & in Philoſophia Ariſtotelica ſubtiliter doctus, acutus ingenio & vehemens, diſputator quæſtionum Scholaſticalium inſignis, ſcripſit

Super Sententias, lib. 4.

Determinationes quoque diuerſarum quæſtionum, lib. 1.

Tabula originalium. alia inſuper multa ſcripſiſſe dicitur, quæ ad me non venerunt. Hæc Trithem. Claruit autem (vt ex præfato Indice colligitur) anno 1350.

NICOLAVS Gallicus.

NICOLAVS Gallicus, ſeptimus prior Generalis totius Ordinis, vir doctus & deuotus & Deo ſingulariter dilectus: qui poſtquam Ordinem aliquot annis ſtrenue gubernaſſet, officio renuntians, ad eremum monaſticæ conuerſationis reuerſus eſt. Scripſit inter alia volumen inſigne quod prænotauit Sagittam igneam, in quo flebilem Ordinis ſui ſtatum multis deplorat gemitibus. Claruit anno 1270.

ANNOTATIO.

Complures alienæ profeſſionis Scriptores in ſuis Chronicis & hiſtorijs huius viri tanquam eruditiſſimi atque Sanctiſſimi mentionem faciunt, inter multos autem Chartuſia. in ſuo Temporum faſcic. Iacob. Philipp. Ord. S. Auguſtini fol. 248. Quod autem attinet ad hoc quod Trithem. dicit eum flebilem ſui Ordinis

nis

nis ſtatum deploraſſe, plorationis cauſſam aperit in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. ſuperioribus hæc verba addens: Cum, inquit, è terra Sancta fratres Carmelitæ fuiſſent expulſi, &c. Qua de re grauiſsimum, & ſummopere Carmelitis notandum præbet teſtimonium citatus Cartuſianus ad annum 1291. ſcribens hoc modo: Nobiliſsima ciuitas, inquit, Aconenſis à Saracenis deſtruitur, ac demum Deifera Mariæ in Carmelo Monaſterium ad quatuor miliaria ciuitati vicinum ab eis igne crematur, fratribus in eo degentibus perfidorum gladijs trucidatis: & tunc (proh dolor.) Ordo Carmelitarum melliſluum locum ex toto perdidit, in quo à tempore Eliæ, & Eliſei prophetarum duobus millibus ducentis viginti, & vno ann. perſtiterant. Hæc ille: extat apud me liber ille elegantiſsimis caracteribus impreſſus.

NICOLAVS Kenton.

NICOLAVS Kenton, natione Anglus vir pius & eruditus, & in Scholaſticis diſputationibus optimè verſatus, complura pietatis & eruditionis conſcripſit opuſcula è quibus extant

Orationes 12. ad fratres.
Ad epiſcopum Oxonienſem, lib. 1.
In Orationem Dominicam.
In Euangelia Sermones 48.
In Cantica Canticorum.
Hiſtoriam Eliſei Prophetæ.
Vinytam ſancti nlli Græci.

De

De pœnitentibus ſuſcipiendis, lib. 1. & multa alia quæ à Ioanne Baleo enumerantur. Claruit anno 1468. quo etiam Londini obiit. Hæc in Indice Iac. Ord. Seruorum.

NICOLAVS
Ritzonis.

NICOLAVS Ritzonis, Conuentus Catanenſis, natione Siculus & Prior Prouincialis Siciliæ, Doctor Theologus Gymnaſij Bononienſis, in declamandis ad populum ſermonibus excellentis ingenij, ſcripſit dum adhuc Bononiæ literis operam daret.

Sermones elegantes de Tempore, lib. 1.

Sermones quoque de Sanctis, lib. 1.

Duo inſuper Quadrageſimalia compoſuiſſe dicitur, quorum lectio Declamatoribus vtilis iudicatur. Alia quoque nonnulla edidit, quę ad notitiam meam non venerunt. Hæc omnia Trithem.

NICOLAVS
Rotarius.

NICOLAVS Rotarius, natione Burgundus, Conuentus Biſuntini, vir egregiè doctus, ac Sacræ Theologiæ & Latinæ linguę apud Carmelitas Florentinos quondam Profeſſor eruditiſsimus, carmine exercitatus & proſa. Reuerēdiſs. Generali Rubeo charus & à ſecretis, cuius hortatu non parum quoque ſudauit in emendandis Operibus Thomæ noſtri Vvalden. Extat nobiliſsimum quoddam Epigramma ab eo compoſitum typisque excuſum & dictis Operibus præfixum. Annus obitus illius me latet. Scio tamen recentem & gratam adhuc tum Bizuntij, tum Florentiæ (vbi adhuc ſuperſunt eius disciplinæ diſcipuli) doctiſsimi viri memoriam eſſe.

NICOLAUS
Simonis.

NICOLAVS Simonis, natione Batauus, ſiue Hollandus, prouinciæ inferioris Germaniæ, vir in diuinis & humanis literis ſtudioſus & eruditus, vt teſtantur nonnulla Opuſcula ab eo conſcripta, nimirum.

Sermones tam de Tempore, quam de Sanctis per totum annum quos intitulauit Sermones Vademecum.

Repetitiones.

Diſputationes.

Conſiliorũ volumina. 2.

De poteſtate Papæ.

De poteſtate Imperatoris.

De poteſtate Concilij.

Commentaria in Decretalibus. Vixit vſque ad annum 1495. ex Ind. Ia.

ANNOTATIO.

Paulò antequam in exilium truderer adhuc nouellus Carmelita nemini me dictos Sermones, Latinè non ſolum typis excuſos vidiſſe, verum & vſum fuiſſe.

OSBER-

OSBERTVS

Anglus.

OSBERTVS, natione Anglicus, vir in diuinis Scripturis eruditiſsimus, & in ſæculari Philoſophia egregiè doctus, acuti & vehementis ingenij, eloquij Scholaſtici, in diſputandis ſoluendiſque quæſtionibus Scripturarum promptus & ſubtilis, ſcripſit elegantiſsimum volumen

Super Sententias, lib. 4.

Queſtiones variè diſputatas, lib. 1.

Sermones quoq; diuerſos, lib. 1.

Determinationes varias. Alia nonnulla ſcripſiſſe dicitur quæ nos ignoramus. Trithem. in vtroque Opere. & Iacobus Philip. Ord. S. Auguſt. fol. 156. in Supplem. Chron.

PAVLVS

Rondinius.

PAVLVS Rondinius Florentinus, Sacræ Theologiæ Profeſſor inſignis, nondum Doctoratus infula inſignitus, ad ſui Conuentus gubernationem ab ipſo Reuerendiſs. P. Gen. M. Nicolao Audet miſſus, ſumma cum laude munus ſibi iniunctum adminiſtrauit. Tandem poſt acepta Doctoratus inſignia in Ethruriæ primum, ac poſtremò Terræ Sanctæ Prouincialem electus, ſemper & vbique ſe venerabilem, comem, blandum, atque benignum exhibuit. Plura cùm forent in hoc viro admiratione digna, duo tamen præcipuè primum ſibi meritò locum vendicant, quorum alterum eſt quòd veluti naturali quodam inſtinctu eruditionis & eruditorum (ipſe eruditiſsimus) fautor & amator perpetuò extiterit, ſtudio-

dioſisque ſemper ad honeſta capeſſenda literarum ſtudia calcar addident. Quàm autem hac in re haudquaquam fruſtra laborauit, declarant nonnulla quæ adhuc ſuperſunt ſuæ plantationis germina, nimirum admodum RR. MM. Ambroſius ab Ambroſijs Pratenſis, impræſentiarum per Ethruriam Prior Prouincialis meritiſſimus, Theophilus Palmerinus, & Andreas Pellius, omnes Doctoratus inſula decorati. Alterum erat quòd tanta prædicationis fama apud omnes pollebat, vt etiamnum hodie non ſolùm Florentiæ, verùm & in alijs Italiæ locis tanquam viuus & immortalis eſſet, ſuarum Concionum (quarum nonnullas vidi) lhus floreat & viuat. Obijt tandem die 29. Nouemb. Anno 1584. ſepultus Florentiæ.

PAVLVS BISCONTVS.

PAVLVS Biſcontus, Nicolai Papæ Quinti quondam Confeſſor, vir in diuinis Scripturis iugi ſtudio exercitatus & eruditus, ingenio ſubtilis & clarus, eloquio, ſertur de variis rebus multa ſcripſiſſe opuſcula, quibus nomen ſuum poſteris notificauit. Ego tamen vſque in hunc diem nihil eorum potui inuenire. Claruit anno Domini 1440. Hæc omnia Trithem.

ANNOTATIO.

Extitit hic Confeſſarius (vt vocant) huiuſmodi Pontificis cuius tempore non ſolùm in Italia, verùm & in vniuerſa Europa nobiliſſima & præclariſſima emerſere turmatim ingenia, quæ & prece & precio à dicto Pontifice ad componendum fuere illecta. Is enim vt Pontifex fuit pro eo ſæculo doctiſſimus, ita & doctorum virorum & ſtudioſorum amator & fau

tor maximus. Nec minus illud in eo viro fuit admiratione dignum quòd vno & eodem anno fuerit ſacerdos, Epiſcopus, Cardinalis & Papa, vti teſtantur omnes qui Pontificum vitas conſcripſerunt. Si quis verò de noſtri Pauli Biſconti lucubrationibus certior eſt, ſignificet; parati enim ſumus in altera editione eaſdem libenter ad vnguem recenſere.

PAVLVS DE Peruſio.

PAVLVS de Peruſio, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſecularibus literis egregiè doctus, ingenio ſubtilis, ſermone Scholaſticus, edidit magnæ authoritatis quædam opuſcula, quibus nomen ſuum poſteritati commendauit è quibus extat volumine inſigne

Super Sententias, lib. 4.

Quæſtiones quoque variæ, lib. 1. & quædam alia. Claruit Pariſiis ſub Clemente Papa ſexto. anno Domini 1344. Trithem.

ANNOTATIO.

Trithem. in De Script. Eccleſ. ait hunc opus hoc prope diuinum (ſic enim loquitur) in Gymnaſio Pariſienſi recitaſſe, nec ita multò poſt ibidem mortuum & ſepultum fuiſſe.

PAV-

PAVLVS DONATVS.

PAVLVS Donatus, aut, vt alibi legitur, Io.Paulus Donatus, Theologus abſolutus & Philoſophus profundus, multæ & variæ lectionis & eruditionis extitit, vt declarant Opera nonnulla typis excuſa Florentiæ in officina Torrentini Belgæ, anno 1569. nimirum libri duo Solutionum ad Contradictiones in dictis Ariſtotelis & Diui Thomæ Aquinatis. Excuſa ſunt autem atque dedicata Pio V. Pont.Max. ſtudio,& induſtria doctiſsimi & honeſtiſs. viri Euphroſyni Lapinij. Complures alios eiuſdem materiæ conſcripſiſſe libros conſtat, ſimiliter & Tabulam quandam dilucidationum in dictis præfatorum Autorum, verum morte, vt opinor, præuentus, ad vmbelicum, vt dicitur, perducere non valuit. In calce Operum impreſſorum teſtatur ſe annos natum 28.eadem condidiſſe, ac eruditiſsimum virum M.Theodorum Maſium eiuſdem Carmelitanæ profeſsionis Magiſtrum & præceptorem habuiſſe.

PETRVS BRVNVS.

PETRVM Brunum inter viros doctos & Scriptores illuſtres enumerat Io. Palendorpius noſter Carmelita. verùm nihil eorum quæ compoſuit enumerat, præter opus quoddam de Inſtitutione Ordinis noſtri, cuius Operis initium tale eſſe dicit: Vetuſtiſsimorum, &c. ſi quæ alia conſcripſit,vt verum fatear, neſcio.

PETRVS HVMBECANVS.

PETRVS Humbecanus in territorio Bruxellenſi natus,Cōuentus Angienſis (cuius ruinas ab hæreticis illatas vidimus) Prouinciæ inferioris Alemaniæ, vir doctus & huma-

nus. Is circa initium ſecundi tumultus Belgici ſibi cauens, anno (ni fallor) 1578. Bruxellam (vbi tunc humanas docebat literas) liquit, & in Italiam profectus, poſt Theologicæ & Philoſophicæ facultatis curſum feliciter peractum, Patauij Doctoratus inſignia adeptus, poſt pacatum aliqua ex parte Belgium, anno 1586. Bruxellam redijt, atque ibidem doctiſsimi Concionatoris officio fungens, vſque in præſentem diem aſsiduum Verbi diuini Eccleſiaſten agens, commoratur. Opuſcula verò non contemnendæ authoritatis, quæ in ipſius muſæo ante annos tres vidimus, ſunt illa.

Conciones exactiſsimæ in Euang. Dominicalia.

Conciones in Euangel. quæ in feſtis Sanctorum leguntur.

Quadrageſimale. Paulò antequam Bruxellam exirem aliquoties dicebat ſibi in animo eſſe typis tradere velle Tractatū de Vſuris. Plura alia congeſsit atque conſcripſit, quorum tituli & nomina impræſentiarum non occurrunt.

PETRVS DE CASA.

Petrvs de Caſa Lemouicenſis prouinciæ Aquitaniæ, poſt reſignationem Ioannis Alerii quartus-decimus totius Ordinis Generalis Prior, deinde epiſcopus Baſionenſis, & poſtremò Patriarcha Hieroſolimytanus, vir in diuinis Scripturis doctiſsimus, vita & conuerſatione deuotus, reliquit ingenij ſui quędam pręclara volumina, de quibus iſta feruntur.

Super Sententias, lib. 4.

Sermones de Tempore & de Sanctis, lib. 2.

Lecturam quoque in librum Politicorum notabilem, & quædam alia quę nos latent. Claruit anno Domini, 1330. Moritur autem pridie nonas Auguſti, miraculis coruſcans. Trithe.

ANNOTATIO.

Meminerunt huius doctiſsimi viri, ijq; alienæ profeſsionis, inter alios Sixtus Senenſis, vir doct. Ordinis S. Dominici: Similiter & Cartuſienſis in ſuo Faſcic. hiſce verbis: Petrus de Caſa, inquit, ex Priore Generali Carmelitarum, Epiſcopus Vaſionenſis, ac Hie-

Hieroſolimytanus Patriarcha, virtutis forma, doctrinæq; ſpeculum clarus habetur: quem quamplura miracula Deo conregnare prædicant. Hæc ille.

PETRVS LVPVS.

PETRVS Lupus, Conuentus Mechlinienſis, Godſenhoue prope Thenas in Belgio natus, ſacræ Theologiæ Profeſſor inſignis, ac Prouinciæ meæ inferioris Alemaniæ Prior Prouincialis, Catholicæ fidei zelator & propugnator maximus, in concionibus habendis diſertus & ardens. Hic tempore tumultus Belgici maxima animi conſtantia ciuitatem Mechlinienſem per aliquot annos in fide Catholica continuit. Etenim pro ea qua apud ciues authoritate pollebat, tam gladio corporali, quam ſpirituali (quod eſt verbum Dei) tanquam miles intrepidus hæreticorum auſibus obuiauit. Tandem vi ab hæreticis Mechlinia occupata, poſtquam ſemel atque iterum aliquot Catholicis ciuibus comitantibus, hoſtem dare terga coegiſſet, poſt magnam vtriuſque partis ſtragem, vniuerſo militum Sathanæ agmine in illum concurſo, fortiter pro fide & Rege pugnans, fortius occubuit. quo cadente, reliqui Catholici in fugam acti, & hæretici domini poſiti ſunt. Poſt commiſſam cædem, inter cæſorum corpora, huius cadauer diu quæſitum, repertum fuit. Quod vero ad præſentis operis negotium ſpectat, ab his qui eum probe nouerunt, intellexi eundem complures pietatis & eruditionis plena conſcripſiſſe, quorum tamen titulos ad memoriam reuocare non poſſum. Illud tamen pro comperto habeo, me paullo ante quam Italiam peterem, audiſſe ſub typis eſſe Conciones quaſdam, quas nonnulli tempore prædicationis ſuæ ex viua voce (adeo .n. lente & articulate loquebatur) exceperant, carthiſque mandauerant. Hic eo tempore quo apud nos Caluiniana hæreſis pullulauit, & viribus aucta excreuit, nunquam ſuggeſtum concionaturus, aut altare ſacrificaturus abſque lachrymis acceſſit, magnæque ſanctitatis opinione adhuc hodie apud Belgas eius durat memoria, vulgoque ab hæreticis irriſorie, & à Catholicis pie Den heyligen broer Peeter, id eſt, ſanctus frater Petrus, vocatur. Obiit circa annum 1580.

PE

PETRVS PONETVS.

PETRVS Ponetus Conuentus Iprenſis in Flandria Prouinciæ Franciæ, vir doctiſsimus, varioque ſcientiarum genere excultus, præclara cultiſsimi ingenij ſui vulgò edidiſſe Opuſcula fertur ex quibus duntaxat vidimus typis euulgatum egregium Opuſculum Latinè conſcriptum cuius titulus.

Propugnaculum Chriſtiani dogmatis, de vera & corporali preſentia Corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ.

Extat excuſum Antuerpiæ apud Ioannem Bellerum anno 1565. Si obierit, aut adhuc ſuperſit author, incompertum habeo.

PETRVS RAYMVNDI.

PETRVS Raymundi de inſula Graſſa, natione Gallus, Conuentus Tarſacii, Prouinciæ Narbonenſis quintus-decimus Prior Generalis, vir doctus & deuotus, ſcripſit multa præclara volumina, quibus ſui memoriam poſteris commendauit, è quibus extant ſubiecta:

Super Sentent. lib. 4.

Ordinis quoque ſui diuerſa ſtatuta in vnum volumen collegit, & in Rubricas ſexaginta collectiones eaſdem diſtinxit. Sed & alia quædam compoſuit, quæ ad notitiam noſtram non venerunt. Moritur autem anno Domini 1357. Inditione 10. ſub Papa Innocentio ſexto, ſepultus in monte Peſſulano, anno ſui officij Generalatus 16. Hæc Trithem.

AN-

ANNOTATIO.

De Script. Eccleſiaſt. ſimiliter illius meminit, addens electum fuiſſe de Conuentu Caracaſſenſi anno 1343. & Ordinem rexiſſe poſt Petrum de Caſa annis 15. de quibus conſule Comment. Carm. & Supplement. Chron. R. P. Iacobi Philippi Ord. S. Auguſtini qui folio 258. perquam honorificam eius mentionem facit. Quod autem ibi dicat Trithem. eum in Generalem electum fuiſſe anno 1343. non nihil diſſentit à duobus Indicibus Elect. Gen. ſtudio & induſtria admodum R. P. M. Baſilij mei tranſmiſſis, vbi annus 1342. ponitur, ſed hoc, vt diximus, alio loco diſcutietur.

PETRVS RIMI.

PETRVS Rimi de Perpiniano, patria Cathalanus, vir valde eruditus, Doctor Sacræ Scripturæ, ingenio profundus, & clarus eloquio, Philoſophiæ Scholaſticæ ſubtilis explanator, ingenio promptus & declamator egregius. Scripſit inſigne volumen

Super Sentent. lib. 4.
Quæſtiones Sententiarum, lib. 1.
In toto qnoque Pſalterio, lib. 1.

Sermones inſuper & varios & elegantes compoſuit, qui ad manus noſtras non venerunt. Hęc Trith. in vtroque Opere. & illius viri meminit Sixtus Senenſis Ord. Prædicatorum in ſua Bibliotheca. & Index Seruitæ, & plures alij.

PAV-

PETRVS NEBVLARIVS.

PETRVS Nebularius, aliàs Neuolarius ni fallor Carmelita Mantuanus, vir ſuæ ætatis celeberrimus, & concionator egregius. Si quid verò præter eruditiſsimas Conciones conſcripſerit, neſcio. fuit is immortalis viri noſtri Baptiſt. Mant. diſcipulus. Quæ omnia patebunt ex his quæ ſubiiciam. Helias enim Capreolus Brixianus ad Ioannem Taberium ſic ſcribit: Petrus, inquit, Neuolarius digniſsimus tali præceptore diſcipulus, inter Carmelitas Theologus, Concionator, eloquentia, moribus, doctrinaque admirabilis, aureum illius de Patientia libellum ad nos Brixiam nuper attulit, omnis moleſtiæ præſentaneum medicamentum, quem quum legimus, hoc Virgilianum fortiter exhibemus:

Quo fata trahunt, retrahuntq; ſequamur.
Quicquid erit ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt,

&c. Obiit autem vix quadragenarius; cuius mortem quàm acerbè tulerit Bapt. manifeſtum euadit ex lugubri illo Carmine quod in eius obitum cecinit, cuius initium eſt:

Cor miſerum, &c.

Vbi ſic inquit:

Nondum canus erat, longo neque frigidus æuo
Vixq; quaterdenos viuendo exceſſerat annos.
Aſt ego biſſenis, cui caligantia luſtris
Lumina, debueram maturo occumbere fato.
Debuit ille meo tales in funere planctus
Spargere, et his noſtros lachrymis profūdere Manes.
Eſt igitur mors hæc, mors immatura putanda
Æqua? ſalutaris? pia? non crudelis & atrox?
Æqua; ſalutaris; pia; non crudelis & atrox, &c.

PE-

PETRVS DE Sancta-fide.

PETRVS de Sancta-fide, natione Anglus, vir pietate & eruditione celeberrimus, Theologus egregius & Philoſophus inſignis, elegantiſsima volumina conſcripſit è quibus enumerantur ſubiecta: In primam Petri Apoſtoli Canonicam.

In ſecundam Petri Lectiones 38.

Breuiarium Sententiarum.

Præconia Petri Lombardi.

Alphabetum Theologiæ.

Determinationes variæ.

Placita Theologica.

Conciones ad Clerum.

Sermones Capitulares. & quædam alia. Claruit Nordouici anno 1452. vt teſtatur Iac. Ord. Seruorum in Indice aliquot illuſt. Script. Carm.

PETRVS TRAVERSINVS.

PETRVS Trauerſinus Mantuanus, Sacræ Theologiæ doctor celeberrimus, in diuinis & humanis literis ad miraculum vſque verſatus, in concionibus ardens & vehemens, cūctis blandus & amabilis, in ſtudijs aſsiduus, in officijs, & dignitatibus humilis & venerabilis, complura æternitatis laude digniſsima conſcripſit, quæ etiamnum in celebri Carmelitarum Mantuanorum Bibliotheca manu ſcripta conſeruantur, eadem (vt opinor) typis euulgaturus, ſi diutius vitalibus auris vti licuiſſet. Indicem verò ſuarum Homeliarum (ſic enim habet inſcriptio) nobis tranſmiſit eximius M. Lactantius Domaninus, vir inter ſuos celeberrimus, aſſerens in epiſtola ſua familiari, præfatum indicem decerptum & deſcriptum fuiſſe manu admodum R. & eruditi M. Ioannis Bap. Granelli Carm. Mant. qui eſt talis.

TOMVS PRIMVS.

De laudibus ſacrarum literarum.
De nobilitate humani generis.
De lapſu primorum parentum.
De Virtute.
De Ieiunio.hom. 2.
De liberis educandis.
De honore parentum.
De temptatione.
De prouidentia Dei.
De prædeſtinatione.
De Paradyſo.
De Beatitudine.
De diligendo Deum.
Da ſtatu damnatorum.
De perpetua pœna eorum.
De amore Dei in homines.
De nobilitate animæ rationalis.
De vtilitate bonorum operum.
De iudicio vniuerſali, Homeliæ 3.
De conſcientia.
De adoratione.
De Antichriſto.
De cuſtodia Angelorum.
De obſeruatione diuinæ legis.
De triplici triumpho Chriſti reſurgentis.
De Reſurrectione eiuſdem.

TOMVS SECVNDVS.

De operibus meritoriis.
De dilectione inimicorum.
De morali ſignificatione Nauis.
De adoratione.
De adoratione Duliæ.
De Peſtiferis conditionibus peccatorum. Deus an ſit cauſa peccati.
De ſummo bono.
De homine an ſit propter Deum.
De transfiguratione.
De lamentatione Rationis.
De ingratitudine.
De conuerſione filij Prodigi.
De Conuerſione Samaritanæ.
De feſtorum dierum obſeruatione.
De Indulgentiis.
De honore parentum.
De contritione.

De Annuntiatione.
De Conceptione Virginis.
De contemptu mundi.
De excellentia animæ.
De conſcientia.
De Sacramento Euchariſtiæ.
De comeſtione Sacramenti.
De præparatione ad illud.
De varia ſumptione eiuſdem.

De multiplici fructu ligni vitæ.
De paſsione Saluatoris.
De Reſurrectione Chriſti Domini.
De excellentia Fidei.
De obitu magnifici Domini Petri.

TOMVS TERTIVS.

De neceſsitate bonorum operum.
De regulis ſeruandis ad bona opera.
De adoratione Magorum.
De Purificationis Beatæ Virginis.
De gaudiis mundi.
De obſeruatione Ieiunij.
De malis conditionibus Dæmonum.
De crudeli bello eorum contra nos.
De armis ſpiritualibus contra illos.
De iudicio vniuerſali.
De pœnis Inferni.
De mundi calamitatibus.
De malis cur dentur bonis.
De pernicioſo Luxuriæ vitio.
De Laudibus inuiolabilis Virginitatis.

De Sacra veneratione templorum.
De Confeſsione, & eius conditionibus.
De mala conſuetudine.
De bonis cur dentur malis.
De ſeta pœnitentia.
De abominabili Vſuræ vitio.
De abominatione Vſuræ.
De mercatura.
De dolis & fraudibus Mercatorum.
De ornatu ſuperfluo.
De glorioſa Chriſti apparit.
De Animæ rationalis excellentia.
De Paradyſo.
De gaudioſo triumpho beatorum.
De Sancto Ambroſio.
De regulis religioſæ mulieris.
De infœlici ſtatu damnatorũ.

TO.

TOMVS QVARTVS.

De Religione Chriſtiana.
De ieiunio, & eius fructibus.
De eleemoſyna & eius vtilitate.
De iuſtorum aduerſitatibus.
De vltimo iudicio.
De honore & cultu Dei.
De cultu idololatriæ.
De vera contritione.
De vltimo fine peccatorum.
De dolore peccantium ante mortem.
De honeſtate coniugii Chriſtiani.
De duodecim impedimentis pœnitentiæ.
De Veneratione eccleſiaſtica.
De conſuetudine.
De mala conſuetudine.
De proſperitatibus malorum.
De fructibus partialitatum.
De impedimentis cur homo non credit.
De remiſsione offenſionum.
De honore parentum.
De execrando mendacij vitio.
De peſſimo duplicitatis vitio.
De blaſphemiæ monſtro.
De nefando alearum ludo.
De diuinæ dilectionis mandato.
De huius mundi vanitate.
De Chriſtiana honeſtate.
De periurij & iuramenti grauitate.
De vanitate Mundi mulierumque.
De animæ rationalis excellentia.
De Annuntiatione Beatiſs. Virginis.
De contemptu mundi.
De glorioſa Chriſti reſurrectione.

TOMVS QVINTVS.

De nobilitate actus credendi.
De laudibus ſacri ieiunij.
De partialitatū deteſtatione.
De partialitatum multiplicatione.
De partialitatum origine.
De partialitatum fructu.
De diſcordia domeſtica.
De diſcordia coniugali.
De diſcordia fraterna.
De pace.
De remiſsione iniuriarum.
De Sanctæ pacis fructificatione.

De peſtifera conditione odij. De meretricum crimine.
De iniuriæ entitate. De ſacrilegii peccato.
De iniuriarum remiſsione. De inceſtus ſcelere.
De remittentium fructibus. De Sodo. indicibili ſcelere.
De ſuperbiæ,& vitio. De pudicitia coniugali.
De luxuriæ vitio. De luxuriæ abominatione.
De luxuriæ entitate. De cauſis luxuriæ.
De luxuriæ diſtinctione. De auaritiæ execrabili vitio.
De fornicationis vitio.

Hæc omnia in præfato Indice nobis è Mantua tranſmiſſo leguntur. Et quanquam ibidem nonnullæ Homeliæ, aut Tractatus eiuſdem materiæ ſæpius repetantur, veriſimile eſt authorem eadem de re pro locorum & temporum varietate variè ſcripſiſſe.

PETRVS SVANINGTON.

PETRVS Suanington Anglus, doctrina & eruditione venerabilis & valde ſtudioſus ſcripſit.

Ordinarias quæſtiones.

Scripturarum Lecturas. & quædam alia, vixit anno 1270. vt legitur in Indice Seruitæ.

PETRVS THOMAE.

PETRVS Thomæ, Epiſcopus Pacenſis, ac poſtea Patriarcha Conſtantinopolitanus, vir in Scripturis ſtudioſus, & eruditus, vita & conuerſatione ſanctiſsimus, quippe qui multis & viuus & mortuus miraculis coruſcauit: fertur nonnulla præclara ſcripſiſſe Opuſcula, quibus ingenium ſuum vtiliter exercitauit, de quibus feruntur ſubiecta.

Super Sententias, lib. 4.

De puriſsima Conceptione Beatæ Mariæ Virg. lib. 1.

Sermones quoque varij, lib. &

Quaſdam ad diuerſos Epiſtolas. Moritur anno Domini 1366. Inditione tertia 8. iduum Ianuarias, miraculis clarus. Hæc Trithem. in vtroque opere, niſi quod in de Script. Eccle. aſſerit etiam fuiſſe Archiepiſcopum Cretenſem.

ANNOTATIO.

Complures alienæ profeſſionis Scriptores huius ſanctiſsimi viri mentionem faciunt, & vt vnum pro multis in medium producam, pientiſsimus Scriptor Carthuſienſis ſæpius à nobis in hoc opere citatus in deſcriptione anni 1344. & ſequentium, illius ſic meminit: Alexandria, inquit, Aegypti ciuitas opulentiſsima à Petro Hieruſalem Cypriq; rege capitur, Beato Petro Thomæ Ordinis Carmeli Patriarcha Conſtantinopolitano, ac ſedis Apoſtolicæ pro Sancto paſſagio Legato multum cooperante. Hæc ille. Et idem Autor poſt pauca: Sanctus Petrus Thomæ, inquit, ex Carmelita Pacenſis Epiſcopus & Patriarcha Conſtantinopolytanus, doctor percelebris, ſummiq; regis Significer bellicoſus: poſt innumeras quas habuit nedum cum ſpiritualibus, ſed & corporalibus Crucis inimicis victorias, poſt quamplures conſcriptos libros, ac patrata miracula, in Famaguſta Regni Cypri ciuitate corpus exuit in feſto Epyphaniæ. Hæc ibi Carthuſienſis.

PHILIPPVS Alberti.

PHILIPPVS Alberti de Nuſsia in Territorio Colonienſi Prouinciæ inferioris Alemaniæ, vir egregia eruditione præditus, diſputator acutus, concionator egregius ſcripſit inter cætera:

In Cantica Canticorum.

In textum Sententiarum, lib. 4.

Contra Vvigandum Ordinis Prædicatorum de puriſsima Conceptione B. Mariæ ſemper Virginis: & alia quæ nos fugiunt. Vixit, & floruit anno 1495. referente Indice Carm. Script. à R. Iac. Seruita tranſmiſſo.

PHILIPPVS de Ferraria.

PHILIPPVS de Ferraria, natione Siculus, Epiſcopus vt quidam volunt, Pacenſis, Doctor Sacræ Theologiæ celeberrimus, ingenio clarus & ſcientia profundus, Sermonum declamator egregius, ſcripſit valde notabiles ſermones de Tempore, lib. 1.

Sermones quoque de Sanctis, lib. 1.

& quædam alia. Claruit in regno Siciliæ prædicans coram Rege & alijs non ſine fructu omnium. Trithem.

PHILIPPVS Kersbel.

PHILIPPVS Kersbel (inquit Magiſter Iacobus de Plebe Ordin. Seru.) Philoſophus & Theologus preclarus ſcrip-

ſit contra veſaniam Vincentij de nouo-caſtro contra puriſſimam Conceptionem M. V. latrantem. Mortuus eſt Pariſijs anno 1485. Hæc omnia ille ad verbum.

PHILIPPVS Riboti.

PHILIPPVS Riboti Prior Prouincialis Cathaloniæ, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, ingenio promptus, eloquio apertus, ac Regularis diſciplinæ curioſus moderator, ſcripſit inter alia ingenii ſui monumenta Opus inſigne, De origine & profectu Ordinis ſui, quod prænotauit De peculiaribus geſtis fratrum Carmelitarum, libros decem. Alia quoque nonnulla compoſuiſſe dicitur, quæ ad manus noſtras non venerunt. Hæc Trithem. Sed in De Script. Eccle. addit eundem etiam ſcripſiſſe De illuſtribus viris Ord. Carm. & Sermones & Epiſtolas. Extant typis excuſa.

PTHOLOMAEVS de Ptholomæis.

PTHOLOMAEVS de Ptholomæis Ferrarienſis, Theologorum ornamentum ſingulare, & Ferrarienſis Academiæ decus eximium, omnem penè ætatem in euoluendis ſacris Autoribus contriuit. Eſt enim vir multiiugæ lectionis, & eruditionis, in diſputando acer & ingenioſus, in concionando ardens & vehemens. Cæterum quàm in legendo & docendo ſit diſertus & eloquens, melius me ſcit Ferraria, vbi quotidie publicè magna diſcipulorum frequentia Metaphiſices arcana pandit.

RI-

RICHARDVS Lauinham.

RICHARDVS Lauinham, natione Anglicus, ſacrarum literarum Doctor Oxonienſis, vir ſubtilis & vehementis ingenij, diſputator quæſtionum acutus, & declamator ſermonum egregius, ſcripſit quædam præclara Opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus extant ſubiecta:

Contra Lolhardos determinationes, lib. 1.

Determinationes quoque notabiles pro libro Reuelationum Sanctæ Brigittæ, quas in Gymnaſijs Oxonienſi & Lódonienſi publicè legit, lib. 1. Opus quoque inſigne de Ordinis ſui fundatione incœpit, quod morte præuentus non compleuit. Compoſuit etiam nonnulla in Logicalibus & Phiſicalibus, quæ ad manus noſtras non venerunt. Hæc ad verbum Trithem. Cæterum Ioannes Baleus (vt patet ex Indice M. Iacobi de Plebe Ordinis Seruorum) plura alia Opera eidem Richardo noſtro aſcribit, quæ omnia ſigillatim adiiciam, & ſunt infraſcripta.

Sententiarũ quæſtiones. lib. 4.
Encomion Virtutis. lib. 1.
Dictionariũ Scripturæ, lib. 1.
Commentaria in Eſaiam.
In Paulum ad Titum.
Clipeum paupertatis.
Contra hæreticos.
Sermones de tempore & Sanctis.
De inuentionibus rerum.
De futurorum euentu.
De proportionibus.
Summulas Logicales.
De ſpecieb. argumentorum, & ſophiſmatum canones. lib. 12.
De potentiis actiuis, & paſſiuis.
De potentiis animæ.
Compendium Meteorol. lib. 4.
De Cœlo & Mundo, lib. 2.
Speculum naturale, lib. 8.
Quæſtiones Phyſicorũ, lib. 8.

De ſcientia & ſenſu. lib. 1.
De diſtantia Planetarum.
Contra Ioannem Peruucy. lib. 1.
De arte obligatoria. lib. 1.
Compendium Gualteri re-

cluſi. lib. 1.
Abbreuiationes Bedæ.
De proprietatibus Elementorum. lib. 1.
Annotationes in Tobiam.
Hiſtoriam trium Magorum.

Argumenta in Epiſtolas Hieronymi, & alia multa. Claruit anno 1381. Hæc ibi.

RICHARDVS *Maideſcon.*

RICHARDVS Maideſcon, natione Anglicus, Doctor Sacræ Scripturæ Gymnaſij Oxonienſis, ingenio præſtans & clarus eloquio, Declamator Sermonum egregius, fertur quædam præclara cudiſſe Opuſcula, quibus nomen ſuum poſteris notificauit, e quibus extant.

Contra Lolhardos. lib. 1.
Sermones quoque de Sanctis. lib. 1. &
Variæ Quæſtiones. Alia inſuper nonnulla compoſuit, quæ ad noticiam meam non venerunt. Hæc Trithem. & Index qui dicit eum claruiſſe Oxoniæ tempore Vvitcleffi.

ROBERTVS *Baſton.*

ROBERTVS Baſton, natione Anglicus, in diuinis & humanis literis optimè verſatus, & hiſtoricus & Rhetor inſignis ſcripſit

De Bello Striuelienſi. lib. 1.
De Scotorum triumpho inani. lib. 1.
Tragœdias vulgares.
Orationes Sinodales. & alia quedam. Claruit anno 1310.

RO-

ROBERTVS
Iuorius.

ROBERTVS Iuorius, Anglus, Theologus eruditus, & Philoſophus acutiſſimus, & Concionator egregius, ſcripſit
In Eccleſiaſticum, lib. 1.
Monumenta Prouinciæ, lib. 1.
Conciones ad Clerum, lib. 1.
Sermones ad populum. lib. 1.
Lecturas Scripturarum, lib. 1. Claruit anno 1392. vt habetur in Indice Iac. Ord. Seru. Hunc Robertum Sixtus Senen. Ord. Prædicatorum, vocat Rupertum. ſed errat, ni ipſe errem.

ROBERTVS
de Monſtroilo.

ROBERTVS de Monſtroilo, natione Gallus, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, decus quondam Gymnaſij Pariſienſis, ſcripſit ſuper
Sententias, lib. 4.
In Epiſtolas Pauli notabilem lecturam. lib. 14.
Sermones quoque de tempore & de Sanctis. Alia etiam nonulla ſcripſiſſe dicitur, quæ necdum vidi. Trithem.

ROBERTVS ROSE.

ROBERTVS Roſe, patria Anglicanus, Theologus inſignis Sermone nitidus, conuerſatione affabilis ſcripſit Commentarios
In Geneſim.

In Exodum.
In Leuiticum.
In Eccleſiaſticum.
In Paulum ad Titum.
Item ſcripſit de naturis animalium.lib. 1.
Sermones & Lecturas.lib. 1. Vixit Nordouici anno 1420.
Index Iacobi Ord. Seruorum.

ROBERTVS *Vualſingam.*

ROBERTVS Vualſingam, natione Anglus, vir celebris, & eruditus, & in Diſputationibus Scholaſticis diligenter exercitatus, & Concionator diuini verbi deuotiſsimus. nonnulla ſui acutiſsimi ingenii reliquit poſteris monumenta, ex quibus feruntur ſubiecta.

Elucidationes Sententiarum.lib.4.
Quæſtiones ordinariæ.lib.1.
Quæſtiones ſolemnes.lib.1.
Quæſtiones Veſperales.lib. 12.
Super Eccleſiaſticum, lib. 1. & alia. Claruit apud Nordouicenſes anno 1310. Ex indice Iac. Seru.

RVPERTVS *Gallus.*

RVPERTVS, Gallus natione. vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, atque in Philoſophia Scholaſtica egregiè doctus, ingenio clarus, ſermone apertus. Edidit varia in Scripturis ſanctis Opuſcula, quibus ingenium ſuum magnificè exercitans, memoriam nominis ſui etiam poſteris notificauit. Erat autem Prędicator verbi diuini egregius, & multa ſcripſit declamatoribus ſermonum vtilia, de quibus iſta ſequuntur.

Super

Super Sententias.lib.4.
In lib.Sapientiæ.lib. 1.
De ſeptem peccatis mortalibus. lib.1.
Moraliſationes. lib.1.
De immortalitate animæ. lib.1.
In Cant.Cantic. lib. 1.
In Eccleſiaſticum.lib.1. imperfectum opus.
In prouerbia Salomonis.
In Eccleſiaſten.
In quatuor Euangelia.
De Ludo Scachorum.lib. 4.
De libertate credendi.lib.1.
De motibus naturalibus.lib.1.
De effectibus Stellarum.
In Epiſtolas D.Pauli.lib.14.
Sermones de Tempore. lib. 1.
Sermones de Sanctis. lib. 1.

& alia plura quæ nos latent. Claruit anno 1349. Trithemius lib.De Scriptoribus Eccleſiaſt.nam in de Script. Carm.non extat.Catalogus verò Operum quę in Trithemio deerant, ex Indice Iac.Seruitæ ſuppletus eſt.Meminit & Sixtus Senenſis Ordinis S.Dominici.

ROVERVS PONTANVS.

ROVERVS Pontanus, Conuentus Bruxellenſis, Sacræ Theologię Baccalaureus formatus, vir (vt à maioribus intellexi) optimæ expectationis, eruditus, in Concionando vehemens & diſertus, Gręcè & Latinè callentiſsimus, Hiſtoriographus inſignis, præter doctiſsimas Euangeliorum & Epiſtolarum enarrationes, plurima in aliis Theologię libris exarauit, præſertim Hiſtoriarum libros elegantiſsimos, quos ſeſe vidiſſe aſſerit egregius atque doctiſsimus vir Onofrius Panuinius Ordinis S.Auguſtini in ſuis ad Platinam faſtis, ſub hiſce verbis: Laurentius Surius, inquit, Carthuſianus, & Rouerus Pontanus Carmelita pij & eruditi chronicorum authores, hoc anno (1500) Annalibus ſuis initium fecerunt. Hęc ille. Recens adhuc eſt eius apud nos memoria.& vt mortem obiiſſe mihi certum eſt, ita annus obitus illius me latet.

SEBASTIANVS Auezzanus.

SEBASTIANVS Auezzanus de Ceſena, Sacræ Theologiæ Profeſſor egregius, bis ſuæ Prouinciæ Romandiolæ Prior Prouincialis, vir ętate grauis, ſtudioſus, morum & vitę ſanctimonię opinione clarus. In perpetuam nominis ſui memoriam dū per otium à grauioribus curis licuit, non contemnendæ profectò lectionis Opera conſcripſit, typiſque mandauit, ſed paucæ ex multis vidimus, nimirum

De Sacramentis.

Digreſsiones prædicabiles, variis de rebus.

Breuem inſtitutionem in Ariſtotelis Logicam.

Concionem de Sanctiſsima incarnatione Domini.

Concionem de Natiuitate Domini.

Concionem de Reſurrectione Domini. Hæc, vt diximus, Typis impreſſa extant. Verùm R. Magiſter Nicolaus Aurificus, qui prima Latinę linguæ ſub eo rudimenta didiciſſe affirmat, dicit ſibi dum Ceſenæ eſſet ab eo oſtenſum fuiſſe Opuſculum quoddam elegantiſsimum eius manibus conſcriptum De modo ſtudendi Theologiæ, quod tamen morte præuentus prælo tradere non potuit. Multa alia ſcripſiſſe certiſsimum eſt, quorum tamen memoriam non habemus.

Primus omnium huius viri notitiam mihi dedit Reuerendus Magiſter Angelus Minicucius à Canepina, dilectus meorum ſtudiorum ſocius, vir perquam eruditus, nec minus virtutis quam eruditionis ſtudioſus. Annus obitus huius doctiſsimi Sebaſtiani fuit 1580. Menſe Iulij. Sepultus in Conuentu noſtro Arimineſi.

SI-

SIBERTVS de Beca.

SIBERTVS de Beca, natione Teutonicus, vir in diuinis Scripturis eruditiſsimus, doctor omnium opinione & laude celebratus, cultor ſui Ordinis deuotiſsimus: ſcripſit ad ędificationem fratrum quędam præclara Opuſcula, de quibus iſta feruntur. Super Sententias lib. 4. De Cenſuris noui Iuris lib. 1. Conſiderationes ſuper regulam ordinis ſui. lib. 1. Ordinale Dominici ſepulchri correxit, quod per totum Ordinem obſeruari decretum fuit. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Henrico Imp. ſeptimo anno Domini 1310. Hęc Trithem.

ANNOTATIO.

Complures eruditi huius viri mentionem faciunt, præſertim Iac. Phil. Ord. Erem. S. Auguſt. fol. 253. ſed & Trithem. lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt. quartò ab eo recognito & aucto; aſſerit hunc Sibertum noſtrum fuiſſe Geldrienſem, ac Prouincialem inferioris Alemaniæ, & tam in Iure Canonico, quàm in Philoſophia Ariſtotelica egregiè doctum, &c. Cæterum ibidem habet eundem adhuc vixiſſe anno 1320. cui aſtipulatur & Index Seruitæ de Script. Carm. & præfatus Iac. Phil. Auguſtinianus, in ſua Chronica ad annum 1320. Præterea mendosè apud Palconydo. lib. 3. cap. 10. legitur Libertus, pro Sibertus.

SI-

SIMON COELIVS.

SIMON Cœlius Hiſpanus, Sacræ Theologiæ doctor, vir doctiſsimus, & variæ lectionis, vt facilè colligitur ex opere quodam quod ſuperioribus diebus huc ad M. Nicolaum Aurificum delatum eſt, de Ordinis noſtri antiquitate, diffusè tractans, excuſum Vlixbonæ. Si quæ alia vir in lucem emiſerit, nondum pro comperto habeo.

SIMON DE SPIRA.

SIMON de Spira, natione Teutonicus, Prior Prouincialis totius Alemaniæ, Doctor Pariſienſis, vir in diuinis Scripturis eruditus, & ſæcularium literarum non ignarus, ingenio præſtans & clarus eloquio ſcripſit.

Super Sententias, lib. 4.

Sermones quoque varios, & quaſdam in diuinis voluminibus lecturas.

¶ Contra Iudæos. lib. 1.

¶ Poſtillam Coloniæ lectam. Alia inſuper nonnulla ſcripſiſſe dicitur, ſed ad manus noſtras non venerunt. Moritur ſub Benedicto Papa duodecimo. Anno Domini 1340. Indictione octaua. Octauo Iduum Ianuariarum Coloniæ in ſuo Conuentu ſepultus. vbi (vt tradit idem Trithem. in de Scrip. Eccleſ.) multo tēpore Theologiā glorioſè docuit, & magnā eruditionis ſuę laudem ab omnibus comparauit. Hæc ille.

STEPHANVS ANGLICVS.

STEPHANVS Anglicus, doctor Oxonienſis & Prior Prouincialis Angliæ, vir in diuinis Scripturis eruditus, & ſæcu-

laris

laris Philoſophiæ non ignarus, ingenio præſtans & clarus eloquio, non minus vita, quàm eruditione decorus ſcripſit

Contra Lolhardos.lib.1.

Contra VViďtcleſiſtas.lib.1.

Sermones tàm de tempore, quàm de Sanctis, per circulum anni notabiles.lib.2.

Quæſtiones quoque varias.lib.1.

Repertorium argumentorum ſuorum.lib. 1.

Lecturas etiam quaſdam notabiles in Bibliæ libros edidit, cum alijs multis quæ me latent. Hæc omnia Trithem. In Indice verò Iac.Seru.adduntur ſequentia Opuſcula:

Commentaria Sententiarum.lib.4.

De functione ſacerdotali.lib. 1.

Contra Nicolaum Herſorde.

In Eclogas Theodoli.

In AEſopi fabulas.Claruit Londini anno 1417.quo etiam Trithem.de Script.Eccleſ.dicit fuiſſe Petringonnenſem,& claruiſſe eo tempore quo Ioannes VViďtcleff exuſtus fuit. Index autem habet, Letringonnenſem.

IO. STEPHANVS Facinus.

IO. Stephanvs Facinus Cremonenſis, Sacræ Theologię Doctor celeberrimus, vario ſcientiarum genere ad prodigium vſque excultus, virtutum ſplendore illuſtris, vitæ ſanctimonia non ſolum Lombardię prouincię (cuius Prouincialatum per complures annos ſanctiſsimè geſsit) verùm & toti ferè Religioni notus. In hoc viro, tanquam in lympidiſsimo virtutum ſpeculo, elucebat priſca illa monaſticæ vitæ obſeruantia, morum integritas, ac ſummę cuiuſdam perfectionis exemplar. Ad Concilium Tridentinum ſub Pio quarto vocatus, Reuerendiſsimi totius Ordinis noſtri M. Generalis munus & vices ſtrenuè obiuit. Cæterum quàm aſsi-

duus & frequens in ſtudiis fuerit, qualiſque ſtudioſorum & ingeniorum patronus fautorque extiterit, nihil attinet dicere quandoquidem illud luce meridiana clarius eſt. Quæ omnia eundem Pio V. Pontifici Max. & notum & charum fecere, à quo etiam ſuper vniuerſa Religione noſtra per Lombardiam Inquiſitor Generalis conſtitutus fuit. Tandem plenus dierum, & poſt plurimos terra marique exantlatos labores Deo ſpiritum reddidit anno 1570. aut 1571. ſepultus Cremonæ. cui pro eo quo erga Cremonenſes animo ſumus, tale epitaphium collocamus:

Clara viri clari tenet oſſa hæc vrna, cinisq;
Hic recubat. Potuit Virtus à morte tueri
Nomen & eximiam mentem: mortalia membra
Non potuit. totum laus eſt diffuſa per orbem,
Relligio & pietas, probitas vitæ, inclyta morum
Integritas, animam nitidis comitantur in aſtris.

ANNOTATIO.

Quàm grata huius viri nominis memoria pijs Conuentus Cremonenſis Patribus ſemper fuerit, indicio eſt quod idem nomen (tanquam fœlix omen) Reuerendiſſimo moderno Relligionis Primati indiderint. quod quam vanum (ut ita dicam) augurium non fuerit, res ipſa clamitat: adeò vt cum Poeta dicere cogar: Sequitur patrem ſua proles, immò antecellit, vtpote qui ætate minor, dignitate maior exiſtat. Itaq; ſummis votis à Deo Opt. Max: poſtulemus, vt vita functum
Facinum faciat diuorum accumbere menſis,
Chizzolam viuum; viuere perpetuò.

Ob-

Obſeruet tamen prudens Lector, in omnibus Actis Cõcilij Trident. Typis excuſis corruptè legi Stephanus Fazinus Cremenſis, cùm ſine dubio legendum ſit Ioannes Stephanus Facinus Cremonenſis.

TARGHETVS.

TARGHETVS, ſiue Andreas Targhetus, à Gottolingo ditionis Brixiæ oriundus prouinciæ Venetiarum, à teneris annis Patauij bonarum literarum ſtudijs Operam dedit, vbi ſumma omnium admiratione breui tempore adeò profecit, vt egregius Philoſophus & Theologus euaſerit, deinde magna cum laude laudatiſſimi Patauini collegij Doctorum Doctoratus laurea inſignitus fuit. Qui cùm egregiæ & exquiſitę eruditionis opinione apud omnes clareret, dignus viſus fuit qui in diuerſis Italiæ collegijs præſertim Cremonen. Patauino, Florentino, & alibi doctiſsimi Regentis munere fungeretur. Tandem in prouinciam ſuam rediens à Reuerendiſsimo Generale Ordinis primùm Commiſſarius Generalis conſtituitur, ac tandem omnium conſenſu Prouincialis eligitur, electusque confirmatur, eamque quam nactus eſt prouinciam in hodiernum vſque diem egregiè adminiſtrat. Pleraq; in Magiſtrum Sententiarum, ac in Philoſophiæ & Theologiæ libros eruditè conſcripſit, quæ in dies ipſe ſua induſtria limat, & polit, ſuo tempore (vt ſperamus) eadem orbi exhibiturus. Quod cùm fiet, licitè & liberè dicere potero.

Viue, vale, Targhete diu, tua clara per Orbem
Fama ibit, Veneti gloria magna ſoli.

THOMAS BEAVLXAMIS.

THOMAS Beaulxamis Pariſienſis, Theologorū noſtri tēporis decus eximium, Philoſophus clarus, Latinè pariter, ac Græcè doctiſsimus, ſtudiis ita affixus, vt nō rarò à ſuis ſuper lribros calamum dextra complexus obdormiſſe viſus ſit. Concionator regius, Epiſcoporum Theologus abſolutiſsimus, & in obeundis legationibus ſeu etiam publicis negotijs vigilantiſsimus extitit. Opera nonnulla tam exquiſitæ eruditionis in lucem typis edidit, vt non ſolùm viuus ingentem in orbe gloriam acquiſiuerit, verùm & vita functus æternitatis memoriam ſit adeptus. Ea quæ partim his oculis vidimus & ab aliis viſa pro certo ſcimus enumerabimus ſcilicet Opus nunquam ſatis laudandum quod inſcribitur,

Harmonia Euangelica.

Enarrationes in Euangelia Quadrageſimę, Opus profectò elegantiſsimum, impreſſum Pariſijs primùm anno 1572. ac demum Antuerpiæ atque Venetijs, dedicatum illuſtriſ. D. Petro Gondy, primùm Lingonenſi, poſtea Parienſi Epiſcopo, ac demum Rom. Eccleſiæ tit. S. Syluestri Card.

Super Abacuc homiliȩ 28. in aula Regis Francorū habitæ.

De interceſsione Sanctorum.

De Sacrificio Miſſæ. Gallicè. De fide & Symbolo ad Card. Comenſem.

In ſextum caput Io. Euang. de veritate corporis & ſanguinis Chriſti. Et multa alia, quȩ morte præuentus typis tradere non potuit. Moritur tandem anno 1589. prima die Maij.

THEODORVS Maſius.

THEODORVS Maſius Mantuanus, vir extra omnem controuerſiam inſigniter eruditus, Theologus clarus, & Phi-

Philoſophus nobilis, bis Con. Mant. Vicarius Gen. meritiſsimus, ac Reuerendiſsimi Domini Nicolai Sfondrati (qui poſtmodum Pontifex factus, Gregorij decimi-quarti nomen ſortitus eſt) Cremonenſis Epiſcopi Theologus abſolutiſsimus & intimus conſiliorum conſcius, ac ad Concilium Trident. comes indiuiduus. Qui cum ſæpius varijs in locis ſuę eruditionis plurima oſtenderit argumenta, inter omnia tamen, quæ vel Theologicè, vel Philoſophicè conſcripſit, maximam laudem merentur Lectiones illæ Metaphyſicæ facultatis quas Bononiæ maximo eruditorum concurſu publicè habuit. Orationem elegantiſs. in Concil. Triden. habitam typiſq; excuſam apud me habeo. Alia quæ ſcripſit, & tempus quo obiit, me latent.

THOMAS LOMBE.

THOMAS Lombe, natione Anglicus, Doctor ſacrarum literarum celeberrimus Gymnaſij Oxonienſis, vir ſapientia & eruditione clarus, ingenio ſubtilis & diſputator quæſtionum Scolaſticalium acutus, ſcripſit contra Lolhardos & Vvitcleffiſtas. lib. 1.

De Incarnatione Verbi. lib. 1. dicitur & alia ſcripſiſſe Opuſcula, quę necdum vidi. Hæc Trithem. cæterum Index Iac. Seruitæ plura enumerat Opera, nimirum:

Super Senten. lib. 4.

Determinationes Theologicas. lib. 1.

Lecturas Scripturarum. & quædam alia. Vixit anno 1390. Hæc ibi.

THOMAS SCROOPE.

THOMAS Scroope Anglus Dremorienſis Epiſcopus, vir profectò ſingulariter eruditus, Theologus exquiſitus,

Phi-

Philoſophia callentiſsimus, nec non (quod maximè in Epiſcopo eſſe debet) aſsiduus & diligens ſibi commiſsi gregis paſtor & cuſtos, plurima eruditionis ſuæ reliquit monumenta, quæ recenſentur hoc modo.

De Carmelitarum Ordinis primordijs & dignitate. lib. 1.
De eodem Ordine ad Eugenium Pontificem. lib. 1.
Catalogus Sanctorum. lib. 1.
Compendium hiſtoriarum & Iurium. lib. 9.
Priuilegiorum Papalium. lib. 1.
Commentaria in decem præcepta. & plura alia. Claruit anno 1491. quo etiam obijt. Hęc ex Indice Iac. Ord. Seru.

THOMAS VVALDENSIS.

THOMAS Vualdenſis, natione Anglicus, Prior Prouincialis Anglie, in diuinis Scripturis ſtudioſus & valde eruditus, & in ſeculari Philoſophia egregiè doctus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, hęreticorum malleus & fortiſsimus expugnator, ſcripſit inſigne opus contra Vuitcleffiſtas, quod prænotauit.

Doctrinale Eccleſiæ. lib. 1.
In multos quoque libros Ariſtotelis Commentarios fecit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Moritur non ſine opinione ſanctitatis, Rothomagi ſepultus, Anno Domini 1430. Inditione octaua, tertio nonas Nouembris. Hæc Trithem.

ANNOTATIO.

Fuit hic Thomas noſter (quod abſq; inuidia dictũ velim) ſingulare ſuæ ætatis Theologorum non dicam orbis anguli Angliæ. ſed Orbis totius ornamentum & decus eximium, & veriſsimum tam præteritorum hære-

ticorum

ticorum exterminium, quam breui poſt ſe exortorum propugnaculum; quod ne quis à Carmelita in Carmelitæ laudem temerè ſcriptum exiſtimet, legat qui velit eruditiſſimorum virorum noſtri temporis Stanislai Hoſij Cardinalis (vt plures alios omittam) & Ioannis Cochlæi Canonici ſcripta aduerſus ætatis noſtræ Eccleſiæ perturbatores. facit mentionem idem Trithem. in maiori Opere ſuo de Scriptoribus Eccleſiaſt. vbi dicit Thomam noſtrum quondam fuiſſe Confeſſorem & intimum Secretarium Henrici V. Anglorum Regis. & Opus illud celeberrimum contra hæreticos exaratum Martino V. Pont. Max. dedicatum & probatum quemadmodum vtriuſq; circa hoc negotium edocet Epiſtola Operi præfixa, qua ipſe Pontifex partem Operis ad ſe miſſam non ſolum (vt dixi) laudat & approbat, verùm & ad reliquam edendam, promiſſa benedictione Apoſtolica, ſedulò hortatur, vt patet intuenti Epiſtolam dicto loco aſcriptam; & à nobis in Commentario noſtro verbotenus exterptam. At quoniam Trithemius ob locorum nimiam intercapedinem, ita ad amuſſim & exquiſitè dicti authoris noſtri Opera omnia, (aut ſaltem maiorem partem) pernoſcere non potuit, eadem ex Indice doctiſſ. viri Iac. de Plebe Ord. B. M. Seruorum Piſani Collegij Profeſſoris hoc loco ſubijciemus. ita tamen vt idem Index teſtetur adhuc plura à Ioanne Baleo enumerari, quàm hoc loco ſubijciuntur:

Super Sententias,lib.4.
In lib.Ethicorum,lib.10.
In lib.Phyſicorum,lib.8.
In lib.de Cœlo & mūdo,lib.4.
In de Generatione & corruptione,lib.1.
Meteorum,lib.4.
In lib. de Anima.lib.4.
In Geneſim,lib.1.
In Exodum.lib.1.
In Leuiticum, lib.1.
In ſapientia Salomonis,lib.1.
In Epiſtolam Pauli ad Rom. lib.1.
Defenſoriorum pacis, lib.1.
De indulgentijs, lib. 1.
De Sacramentis.
De paupertate.lib.1.
Rurſum in lib.Ariſtot.de Anima.lib.3.
In Acta Apoſtolorum, lib.1.
In primam Petri Canonicam.
Sermones ad Clerum Oxonienſem.
Faſciculus zizaniorum Vvitcleffi.
De Religione perfectorum, lib.1.
De veritate Euangelica,lib.1.
De Corpore Chriſti,lib.1.
De diuinatione, lib. 1.
De præſcientia,& prædeſtinatione,lib.1.
De Fide,lib.6.
Sophiſmatum Strophę. lib. 1.
Rudimenta Grammaticorum.lib.1.
Ad Conſtantienſe Conciliū lib.1.

TILMANNVS.

TILMANNVS, Conuentus Aquenſis, natione Teutonicus, Prior Prouincialis inferioris Alemaniæ, ſacrarum literarū inſignis Profeſſor, ingenio prȩſtans & clarus eloquio, declamator ſermonum egregius, ſcripſit ſuper Sententias, lib.4. In Euāgelium Mathæi Lecturam notabilem, quam Coloniæ in Conuentu publicè legit, lib.1. Sermones quoque varios & quædam alia. Claruit anno Domini 1370. Trithem.

VINCENTIVS BARSIVS.

VINCENTIVS Barſius Mantuanus, Theologus inſignis & Poeta celebris, vita & conuerſatione deuotus, verſu exercitatus & proſa, licet ingenium magis ad Carmẽ vergeret. Huius cultiſsimi viri mentio fit in Indice Iac.Ord.B.Mar.Seruorum, diciturque ibidem ſcripſiſſe

Syluam Bononiæ excuſam cum elogiis.

Item Albam Labirintum, excuſam Parmæ anno 1519. hæc ibi. Si quæ plura conſcripſit, pergratum eſſet cognoſcere.

VIRGINIVS A SOLE.

VIRGINIVS à Sole Ferrarienſis, tanquam lucidiſsimum Solis iubar, inter candidiſsimos Carmeli cultores eximię eruditionis ſplendore micat & fulget, perq; omnes Mantuani, & Ferrarienſis territorij fines doctrinę radios extendens, præter eruditiſs. eaſque varias in Diuinis & Philoſophicis diſciplinis Lectiones, ſacras Conciones, indies varia componens, egregię talentum ſibi à Domino collatum expendit.

VMFRIDVS NECKION.

VMFRIDVS Neckion Norduallus, vir eruditione & morum probitate clarus, Concionator egregius, ingenio pręſtans & eloquio, ſcripſit

Sermones dominicales. 14.

Quæſtionum Theologicarum librum vnum.

Lecturas Scholaſticas. & alia quæ nos latent. obijt anno 1303. M.Iac.de Plebe.Ord.Seru. in Ind.

VVALTERVS DISSE.

VVALTERVS Diſſe, natione Anglicus, vir in Diuinis ſcripturis valde eruditus, & declamator ſermonum popularium celeberrimus ingenio ſubtilis & apertus eloquio, ſcripſit non ſpernendę lectionis Opuſcula, de quibus ſubiecta feruntur:

Contra Lolhardos, lib. 1.
De ſciſmate, lib. 1.
Super quoſdam Pſalmos, lib. 1.
Sermones de Tempore, lib. 1.
Sermones quoque de Sanctis, lib. 1.

& quædam alia quæ ad notitiam meam non venerunt. Hic fuit nuntius & Legatus Bonifacij Papæ noni in regnis Anglię, Hiſpaniæ, Portugalliæ, Nauarrę, Aragoniæ, & in partibus Vaſconię, Crucem contra hæreticos & ſciſmaticos prædicans. Claruit ſub Vvenſceslao Imperatore, Anno Domini 1390. & in Conuentu Norduicenſi ſepultus eſt. Hæc omnia ad uerbum Trithem. lib. de Scriptoribus Carmelitarum.

VVALTERVS HONT.

VVALTERVS Hont, natione Anglicus, vir in diuinis Scripturis valde eruditus, & ſæcularium non ignarus, ingenio ſubtilis, ſcientia profundus, ſtudio & exercitatione lectionis continuus, fertur nonnulla præclara ſcripſiſſe opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus extat

Opus inſigne ſuper Sententias. lib. 4.
De paupertate Chriſti. lib. 1.

Alia inſuper quammulta compoſuiſſe dicitur quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Papa Sixto quarto, anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo, & neſcio ſi adhuc uiuat. Hæc Trithem. anno 1492.

OCTO

OCTO PROVINCIALES *Prouinciæ Lombardię ex celebri Conuentu Cremonen. aſſumpti.*

CVm ob Typographorum incuriam, omnia ſuis locis minimè aptari potuerint, non abſre fuerit hoc loco breuiter recenſere, & vnico faſce complecti inſignes aliquot almæ Prouinciæ Lombardiæ Prouinciales, quos Conuentus Cremonenſis, veluti fœcunda parens, & inſignium ingeniorum altrix protulit. Horum itaque (quorum memoria extat) primus fuit admodum R.M. Heliodorus Oldroandus, Philoſophus & Theologus ſummus, Ciſalpinorum Carmelitarum Præpoſitus, Patriæ alumnus non ingratus, templi collabentis reſtaurator, vnicumque regularis obſeruantiæ exemplum. Hunc ſecuti ſunt Geneſius Melonus, Gaſpar Bernerius, Pontius Pollitius, Io. Stepha. Facinus, Geneſius Roſanus, publicus quondam Ticinenſis academiæ ſacrarum litterarum interpres facundus. Albertus Pectius, ac demum Elias Carniualius, cuius (quemadmodum & Io. Steph. Facini) alibi meminimus. Quinque prioribus enumeratis, ob ſummam integritatem & eruditionem, in gratam demortuorum memoriam, & ad poſteros in virtutis amorem inflammandos, inſignem quandam petram ſepulchralem prȩfatus R.M. Geneſius Roſanus, dicti Pontij Pollitij obſequens diſcipulus, ſextus poſt eos Prouincialis, erigi curauit, Anno 1578. ſexto Idus Maij. Suſpicor omnes hos viros clariſſ. claruiſſe ab Anno 1500. Nã prȩfato Heliodoro lapidem ſepulchralem erectum fuiſſe Anno 1508. Kalend. Aug. docet inſcriptio. At verò ſi longè ante mortem obierit, in dubium relinquo, aut ijs diſcutiendum trado, quibus integrum eſt dicti Conuentus Annales euoluere.

A

VEtvs prouerbium eſt: Quandoque bonus dormitat Homerus. Itaque cùm quamplures eruditione &

vita ſanctimonia claros Carmelitanæ noſtræ religionis viros prætermiſerim quorum notitia ſerius ad me peruenit, & ob id in ſuperioribus ſilentio præterierim, hoc loco breuiter quidem & ſummis, vt aiunt, labris eodem ordine alphabetico, eorum duntaxat nomina ſubiungam, nam horum virtutes & raræ cuiuſdam eruditionis maieſtas longè ingenium meum ſuperat, quam potis ſim eorundem encomia dignis laudibus recenſere. Itaque ad literam. A. recenſendi erant admodum Reuerendi P.P. M. M. Angelus Ambroſianus Venetus, qui interfuit Concil. Trid. Angelus de Nepotibus à Monte Calerio, qui in celeberrimis quibuſque Italiæ locis doctiſsimi Regentis munere functus eſt. Similiter & AEgidius de Scrineis quondam Procurator Ordinis tempore Io. Bapt. Rub. Item AEgidius de Honeſtis quondam Prouincialis Siciliæ. Nec non & Apollonius Panormitanus anno elapſo Prouincialis Siciliæ, nunc verò Hiberniæ. Nec omittendus Reuerendiſs. D. Antonius Fidei, epiſcopus Suanenſis, qui obiit anno 1433. die 5. Ianuar. Sepultus Lucæ in Ethruria. Item Albertus Partus Prouincialis Tuſciæ obiit 1586. die 7. Maii. Sepultus in Monte-Catino. Nec prætereundus M. Antonius Frizza à Nouis celebri oppido Reip. Genuenſium oriundus, vtpote qui vir apud ſuos & probatæ eruditionis, & pietatis. quondam diuerſis in locis modo Papiæ Regens doctiſs. Similiter etiam honoris cauſa huc referetur M. Archangelus vt opinor Papienſis, vbi ſumma cum laude Metaphyſicam legit & Philoſophiam. Non excludendus quoque admodum Reuerendus M. Auguſtinus de Vaghiſtellis, vir doctiſsimus, ætate venerabilis, quondam Regentis munere, Prouincialatus officio functus ac Procurator Ordinis fuit, nunc Senis inaſsiduo ſtudio vitam agit. B

BARTHOLOMAEVS Raguſius dignus eſt qui ex hoc albo non excludatur. fuit enim is vir eruditiſsimus, quondam per multos annos prouinciæ Siciliæ Prouincialis, & ſocius Viſitationis Prouinciarum Neap. Sicil. &c. quorum Viſitator erat Hieronymus Toſtatus Hiſpanus, vir inſignis eruditionis. Nec omittendus eſt Reuerẽdiſs. D. Bonifacius Vene-

tus epiſcopus Veneeopolenſis, qui obiit die 26. Aprilis anno 1374.

C

CARMINIVS Philomarinus optimo iure his annumerandus venit, id enim expoſtulare videtur ſumma & exquiſita eruditio, & vitæ integritas, quæ omnia declarant quam dignus viſus fuerit qui ſemel atque iterum Prouinciæ Terræ laboris Prouincialis præficeretur, tandem, vt intellexi, diem clauſit extremum, ſepultus Neapoli.

D

DESIDERIVS de Sancto-Martino epiſcopus Vgentinus Panormitanus nequaquam omittendus, ſed doctiſſimis viris aſcribendus vtpote qui Concilio Tridēt. tanquam ſummus Theologus interfuit. Huic Deſiderio deſidero & Deſiderium Placa Catanenſem addere quondam Lectorem publicum ſacræ Theolog. in alma Catanenſium academia, ac tandem Prouincialem Prouinciæ S. Alberti in regno Siciliæ. Præfatis adiungetur R. D. Dioniſius Venetus Abbas Oſtrauicenſis, qui obijt 16. Octob. anno 1508.

F.

FRANCISCVS Aloiſius Neapolitanus meritò his annumerandus venit, etenim tum Patauij tum alibi doctiſsimi Regentis munere functus prouinciæ Terræ-laboris dignißimus Prouincialis exiſtit.

H.

HENRICE Siluij tanquam viri doctiſsimi ſuo loco memini, verum neſcio quo caſu error in imprimendo acciderit, cum non Papienſis, ſed à Medio vico diœceſis Comi-Vallis Lugani oriundus extiterit, & Aſtæ in Lombardia ſacræ religionis habitu indutus, Papiæ, non autem Patauij doctiſsimi Lectoris munus exercuerit, ac Romæ impræſentiarum magna cum laude Metaphyſicam loco M. Alphij erudité enucleat. Huic ſubiungetur Hieronymus Catanenſis vir pius & egregius Concionator bis Prouincialis Calabriæ. Hieronymus Toſtatus Hiſpanus, vir egregius, & inſigniter eruditus Viſitator Generalis Prouinciarum Siciliæ & Neapoli, vbi etiam in pace quieſcit.

RE-

I

REVERENDISS. D. IACOBVS de Venetiis epiſcopus Eucʼlopenſis vir ſumma pietate & eruditione conſpicuus obiit 30.Octob. anno 1345. Iacobus Ramirez Hiſpanus, vir doctiſs. & Concionator celeberrimus,qui cùm diuerſis in locis eruditiſsimi Theologicæ facultatis Profeſſoris munus obierit, dignus planè cenſeri debet, qui huic ſelectorum virorum cetui aſcribatur. Addetur & nomen Reuerendiſsimi D. Io. Magni epiſcopi Equilienſis, qui obiit die 11. Octobris anno 1321. Reuerendiſsimus quoque M. Io. Raudenſis Mediolanenſis Doctor Pariſien.ac totius Ord. generalis, de quo plura in Comment. Carm. legenda dedimus. obiit anno 1404. die 21.Septemb.ſepultus Mediolani. Item Reuerendiſs.M.Laurentius de Mangis Pratenſis Prouincialis Tuſciæ, ac demum Vicarius Gener.totius Ord.obiit anno 1512.die 8.Iulii, ſepultus Prati.Similiter Io.Franciſcus de Emporio Prouincialis Tuſciæ,obiit anno 1529.die 9. Febr. Item Io. Nicolaus Prouincialis Tuſciæ, tam Senis quam Florentiæ annis 30. Philoſophiam publicè profeſſus eſt. obiit anno 1499. die 2. Aprilis ſepultus Florentiæ.Non omittendus Io. Baptiſta Ferlitus Panormitanus, vir ingenio præſtans ac Catholici Regis Hiſpaniarum Philippi ſecundi Theologus, vario ſcientiarum genere excultus, quondam Lector Logicæ facultatis in almo Piſarum Collegio,ac impræſentiarum Prouincialis Anglię digniſſimus. Addetur & Iulianus Ioannis quondam Prouincialis Tuſcię, qui Florentinæ vniuerſitatis Decanus extitit. Obiit Prati anno 1436. die 22. Septemb. perlatus & ſepultus Florentiæ. Nequaquam omittendus venit Iulianus Riſtorus Pratenſis, Mathematicus & Aſtrologus inſignis. obiit Florentiæ anno 1556.die 7.Decembris. cuius marmorea effigies in eadem Eccleſia Carm. Florent. cernitur. Iulianus Philippi Prouincialis Tuſciæ annis 22.obiit anno 1481.die 30.Iulii.ſepultus Florentię. Iulius Amonaſteriis Siculus Prouincialis quondam Siciliæ ſuperiori anno prædicatione Quadrageſimali nondum finita finem vitæ ſortitus eſt.

MI-

M

MICHAEL Carranza S.T.D.celeberrimus ac Hiſpaniarum Vicar.Generalis digniſs. vario & exquiſito ſcientiarum genere excultus,omne tempus in legendo atque ſcribẽdo triuit,muneris ſibi iniuncti executor ſtrenuus. Viuit vſque hodie cunctis venerabilis.

P

PAVLVS Piluphus Siculus,vir excellentis ingenii, in declarandis & interpretandis ſacris literis egregius,Theologus inſignis, & magnæ abſtinentiæ & pietatis, viuit ad huc, vt opinor. Non omittendus Pompeius Raguſius Siculus vir eruditiſsimus, publicè Papiæ Metaphyſices arcana doctiſsimè enarrauit,varijs ijſque celeberrimis in locis Regentis munere functus, ẽt Procurator Ordinis tempore Io. Bapt. Rub. Gen. extitit, modo contemplationi deditus, aſsiduus in ſacris literis verſatur.Pompeius Zuccalà Siculus, vir extra omnẽ inuidiæ aleam doctiſsimus, quondam Prouincialis Neapoli; impræſentiarum verò Prouincialis prouinciæ S.Angeli in regno Siciliæ digniſsimus.

S

SALVATORIVS Palmerius Neapolitanus,vir inſigniter eruditus, diuerſis in locis Regens extitit,antequam Religionem ingrederetur Iuris vtriuſque Doctor; quondam Commiſſarius Prouincialis Calabriæ, aſsiduus in diuinis literis Neapoli commoratur.

T

REVERENDISS. D. Thimotheus Berardus, magnæ virtutis & eruditionis,è Procuratore Gen.à Sixto V.Epiſcopus Naulenſis conſtitutus, vbi vſque hodie gregem ſibi commiſſum doctrinæ pabulo diligenter paſcit. Nec illud prætereundum eundem quondam ſumma omnium admiratione Romæ Theologiam, & Papiæ Metaphyſicam publicè enarraſſe.

V.

REVERENDISS. D. Vincentius Leo Panormitanus Epiſcopus Boſenſis in Sardinia, quondam dum viueret Reuerendiſsimi D. Deſiderij à Santomartino pręceptor ſedulus, nunc in pace quieſcit.

XY-

X

XYstvs Neapolitanus, vir profectò eruditiſsimus, qui typis traditis Opuſculis etiam Orbi notus exiſtit. obiit tandem Neapoli.

D. IOANNIS TRITHEMII SPANHEMENSIS Abbatis Ordinis diui Benedicti Apologia, pro eo quod non omnes Doctores & Scriptores Carmelitani Ordinis hic ſint inſerti qui ſcripſerunt.

EX his nunc itaque viris doctiſsimis quorum mentionem fecimus, Lector, potes agnoſcere, quanti Carmeli fructus debeas ęstimare. Paucos verò de multis extraximus, quorum & ingenia & ſcripta cognouimus. Nec dubitamus Ordinis huius reſtare complures viros doctiſsimos, qui varijs temporibus florentes, ingenijs ſuis & ſcriptis eum magnificè illuſtrarunt, quorum ad nos memoria non peruenit. Omnibus enim Ordinibus Carmelitana Religio antiquior eſt, ipſaque nimia vetuſtas clara lumina ſui in obliuionem facilè deduxit. Denique qui plures Carmeli montis palmites fructiferos ſcire deſyderant, geſta & Hiſtorias eiuſdem Ordinis legat, & viros doctiſsimos inuenire poterit, quorum in hoc Cathalogo mentio nulla fuit. Nos enim perquirendi cęteros qui deſunt nec tempus conſecuti nec otium, iſtos idcirco in ordinem digeſsimus, vt inueſtigandi reliquos, occaſionem Lectori pręberemus. Ad vos demum fratres Carmelitici Ordinis cultores animum vertimus, veſtris charitatib. pręſens munus offerimus, & vt Deum pro nobis exoretis, pro vicißitudine dilectionis intentè ſupplicamus.

FINIS.

Errata Fol. 19. b. Verſu 12. Veronæ, lege Vercellis. Fol. 20. verſ. 2[illegible] anno M. D. XXVII. lege M. D. XXIII.